348.337
Am25

348.337
Am25

DE VICARIIS
BASILICARVM VRBIS

DE VICARIIS
BASILICARVM VRBIS
AC PRAECIPVE
SS. PATRIARCH. BASILICAE VATICANAE

TRACTATVS CANONICO-THEOLOGICVS

AVCTORE

ANDREA HIERONYMO ANDREVCCI S. I.

EDITIO ALTERA

CVRA EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

MARII CARD. MATTEI

EPISCOPI TVSCVLANI

AC EIVSDEM BASILICAE

ARCHIPRESBYTERI

ALMA COLLEGE
348.337
LIBRARY
AN25
Los Gatos, Calif.

ROMAE
TYPIS PHILIPPI CAIRO
MDCCCLIV

53884

ELOGIVM AVCTORIS

Ex Archivo Societatis Iesu

« P. Andreas Hieronymus Andreucci, Viterbiensis, natus die 13 Novembris anni 1684, ingressus est Societatem Iesu 25 Octobris 1701. Post expletum novitiatum studuit Rhetoricae et Philosophiae. Docuit inde grammaticam et literas humaniores in Collegiis Fabrianensi, Tiphernatensi et Florentino usque ad annum 1712; quo, et subsequentibus tribus annis operam dedit Theologiae studio in Coll.° Romano: quo etiam tempore philosophiam prius, ac postea theologiam repetiit alumnis Collegii Germanici. »

« Annis 1716, 1717, et 1718 docuit Logicam, Metaphysicam et Physicam in Coll.° Perusino. Anno insequenti 1719 docuit Theologiam Moralem in Coll.° Tiphernatensi ; ibique die 2 Februarii solemnem professionem quatuor votorum emisit. Ab anno vero 1720 usque ad 1725 Theologiam Moralem docuit in Residentia et Seminario Tusculano, et praefuit Sodalitatibus Rusticorum et Nobilium. »

« Papiam deinde migravit, ubi annis 1725, 1726, et 1727 fuit Confessarius Illustrissimi Episcopi. »

« Ab anno autem 1728 usque ad obitum praefuit in Romana Professorum Domo Collationi Casuum Conscientiae, et per aliquot annos Congregationi Sacerdotum. »

« Obiit Romae 13 Iunii 1771. »

« Multa edidit opuscula, alia latine, alia italice, de re morali, aut canonica, vel etiam ascetica. Quae omnia plurimum commendavit Benedictus XIV, qui saepe, dum vixit, Andreuccium hortabatur, ut in unum col-

lecta, omnia simul iuris publici faceret. Manum operi, iussu praesidum, et hortante etiam Clemente XIII admovere coepit anno 1766. Sed opus absolutum non fuit ob eius mortem. Viri virtus et vita exemplo fuere omnibus quotquot cum illo egerunt, et tractarunt. Innumeri fuerunt, viri etiam virtute, genere, et dignitate praestantes, qui Andreuccio arbitro et moderatore conscientiae suae uti voluerunt: idque ob eximiam eius pietatem, et doctrinam, qua plurimum sibi animos omnium demerebatur. »

FRANCISCVS RETZ

Praepositus Generalis Soc. Iesu

Cum Opusculum, cui titulus: *De Vicariis Basilicarum Vrbis Tractatus Canonico-Theologicus*, ab Andrea Hieronymo Andreucci nostrae Soc. Sacerdote conscriptum, aliquot eiusdem Soc. Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu propria subscriptas, et Sigillo Soc. nostrae munitas dedimus. Die 17 Iulii 1744.

Franciscus Retz

REIMPRIMATVR - Fr. Th. M. Larco O. P. S. P. A. M. Soc.
REIMPRIMATVR - Fr. A. Ligi-Bussi Arch. Icon. Vicesg.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. ALOISIO MATTEI

E DVCIBVS IOVII

REVERENDAE CAMERAE APOSTOLICAE CLERICO
AC SACROSANCTAE VATICANAE BASILICAE
VICARIO

ANDREAS HIERONYMVS ANDREVCCI SOC. IESV

D. D. D.

IAMDVDVM *opportunitatem aliquam oppe-periebar*, ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRAESVL, *qua debitum Observantiæ in Te meæ testimonium libris et scriptis præberem. Quando ecce tibi Sapientissimi Pontificis* BENEDICTI XIV *Providentia, atque Amplissimi Cardinalis* ANNIBALIS ALBANI *Benignitate factum est, ut quam vehementer optaveram, occasionem tenuerim. Alter quippe, pro ea qua est in optimorum delectu solertia, Apostolicæ Cameræ Clericis Te adscripsit; Alter Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter, eidem Te, Vicarium constituit.*

Duplex hæc Provincia summis hisce Auctoribus Tibi demandata mihi incitamento fuit, ut publice ad Te venirem gratulatum; et aliquid molirer, quo meum in Te positum præsidium, atque ornamentum confirmarem. Libellum propterea scripsi de Vicariis Basilicarum (de Clericis enim Cameræ antiquiores, iique non pauci, scripserunt Auctores) ita tamen scripsi, ut in illo de Vaticanæ Vicario Basilicæ præcipuus esset sermo: ne scilicet Tibi dum scriberem, a Te divellerer, et quocumque inter scribendum abirem, Tu ipse mihi occurreres. Opusculum istud, Officiorum meorum fidum Ministrum, ad te mittere, hoc Tibi dicare visum est: Sic gratulationis, sic qualiscumque observantiæ in Te meæ publicum extabit monumentum. Vtinam inde quivis intelligat, quanto sit omnibus amori probitas, modestia, rectitudo, humanitas, et in iis, quæ sui sunt muneris, bene compositeque peragendis, cura, et providentia! Hæ namque dotes, Tibi peculiares sunt ac propriæ, Vrbem plane totam tibi devinciunt, nosque adducunt, ut amplissima quæque Tibi ex animo universi optemus, et velimus, atque idcirco tuæ Dignitatis, quodcumque illud tandem sit, incrementum, ad rem pertinere publicam et publicæ omnium gratulationis causam existimemus. Qui alteri

*a te suum librum inscriberet, * ut S. Hieronymi verbis utar*, Genus et Proavos proferret in medium, diceret pugnas, describeret praelia et per tantae nobilitatis gradus Maecenatem suum venisse jactaret. *Verum hæc tanta decora, quæ Gens tua inter Romanas Princeps, et antiquissima abunde suppeditaret, profecto in Te mirari neglexerim: piget, videlicet,* in radicibus demonstrare *quod in Arbore ipsa eminet et apparet, nec amplificatam tibi dignitatem propterea gratulor, quod Atavis editus clarissimis augearis honoribus, sed quod solida virtute prœditus, et jurisprudentia, atque omni, Homine Nobili, digna doctrina eruditus, priores magistratus cum acceperis, ita eos geras, ut posterioribus, maioribusque olim obeundis proludas. Audisti,* PRAESVL ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME, *consilium in scribendo meum: superest ut in tuo, quidquid scripserim de Vicariis Basilicarum, judicio atque humanitate reponam. Non erit sane cur me mei facti scriptive pœniteat, si unus ipse quod scripserim legeris, ipse quod fecerim, comprobaveris.*

---

* *S. Hier. ad Oceanum Epitaph. Fabiolae.*

DE VICARIIS

BASILICARVM VRBIS

§. I.

Vicarius Basilicarum Vrbis quis dicatur, et sit?

VICARIVS Basilicarum Vrbis is dicitur, et est, qui in una aliqua ex tribus praecipuis Vrbis Basilicis, videlicet S. Ioannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, ac S. Mariae Maioris, Archipresbyteri ejusdem *respective* Basilicae Vices gerit, ac personam repraesentat. Pro quo sciendum est praeclara inter earum Basilicarum ornamenta illud in primis censeri, quod iisdem praesit Archipresbyter ex Eminentissimo ac Sacro Cardinalium Collegio assumptus. Nec recens est talis praerogativae usus, sed antiquior omni hominum memoria,

nam si Lateranensem Basilicam spectemus,* Archipresbyteratus dignitatem in ea primus ex Cardinalibus adeptus est, Bonifacio VIII sedente, Gerardus Episcopus Sabinensis, gente Blanca, Patria Parmensis, a Nicolao III Sacro Cardinalium Collegio adscriptus; si Vaticanam, edocemur dignitatem Archipresbyteralem anno 1035 a Benedicto Papa IX institutam fuisse, nec alios ad eam assumi consuevisse, quam S. R. E. Cardinales, quos inter Vrsus Vrsi Filius primus, et antiquior Archipresbyter Cardinalis in ordine recensetur a Grimaldo ejusdem Basilicae Clerico Beneficiato, et Chronista; si demum Basilicam S. Mariae Maioris, haec primum Cardinalem Archipresbyterum, quantum assequimur, habuit Matthaeum Cardinalem sub Eugenio III de anno 1153; consequentibus vero temporibus praeter B. Nicolaum Cardinalem Albergati habuit splendidissimum Ecclesiae lumen S. Carolum Borromaeum Cardinalem S. Praxedis, qui suis virtutibus ac sanctitate adeo excelluit, ut Basilicae huiusce decora in immensum extulerit.

2. Iam vero Cardinales Basilicarum Archipresbyteri cum gravioribus ipsi distineantur occupationibus vices suas committunt alicui e numero Romanae Curiae Praelatorum, qui

---

* *Ex Choellio de Card. cap.* 58.

aliquando est etiam Episcopus Titularis aut Patriarcha, prout nuper vidimus in Basilica Vaticana amplissimum tunc Patriarcham Antiochenum, nunc Eminentissimum Cardinalem Ioachimum Portocarrero, Cardinalis Archipresbyteri vices ac partes explere. Nec voluntarie dumtaxat, sed ex obligatione Cardinales Archipresbyteri constituunt sibi Vicarium; nam Alex. VII expresse id mandat in sua Constitutione 33. *Pastoralis Officii etc.* ubi ait: *Vicarios deputent Prælatos graves et probos.* Hic igitur Praelatus cui ab Archipresbytero sua demandatur provincia, dicitur et est Basilicae Vicarius, de quo hic loqui instituimus.

3. De Vicariis Archipresbyterorum in genere agit Sbrozzius qui floruit circa annum 1592, et apud illum Ferret. consil. 327 num. 3. Parisius etc.: de Vicariis autem Archipresbyterorum Basilicarum in specie nonnulla affert Cohellius in sua notitia Cardinalatus cap. 61. §. *habet etiam etc.* ubi docet eiusmodi Vicarios habere iurisdictionem ordinariam, ex triplici enim genere Vicariorum quorum alii constituuntur a jure, alii ab eodem Superiore a quo creantur Iudices Ordinarii, cuius vicem gerunt aut locum tenent, alii constituuntur ab aliquo Officiali in locum sui ipsius. Ex hoc inquam triplici genere, Vicarii non solum primi, sed etiam secundi generis quales sunt Vicarii

Basilic. habent iurisdictionem ordinariam ex concessione et permissione ipsius Iuris et Principis, sicut olim etiam iurisdictionem ordinariam habebat Legatus, et Vicarius Proconsulis. Vicarii autem tertii generis regulariter non habent iurisdictionem ordinariam sed delegatam. Ut observat Azor. Lib. 3. Instit. Moral. Lib. 13, cap. 13.

§. II.

A quo, quomodo et quales constituendi sint Vicarii Basilicarum.

4. CONstituitur et deputatur Basilicae Vicarius ab eiusdem Basilicae Archipresbytero, qui ad id habet a Summo Pontifice facultatem, ut constat ex Bulla Sixtina centesima secunda edita in favorem Basilicae Vaticanae, ubi legitur: *Tuumque et dictæ Basilicæ Vicarium per te nunc forsan deputatum, et pro tempore a te deputandum.* Propterea scripsit Choellius, dum ageret de Archipresbytero S. Mariae Maioris: *Habet etiam Eminentissimus hic Card. Archipresbyter , quemadmodum alii Patriarchalium Basilicarum, facultatem eligendi sibi Vicarium e numero Romanæ Curiæ Prælatorum.* Quod iam olim fixum , ac

certum supposuerat Paulus III in sua Constitutione 35 incipiente *Cum dilectus Filius Alexander etc.* ubi commemorat id veluti suo iure factum fuisse a praefato Cardinali, inquiens: *Ipseque Alexander Cardinalis et Archipresbyter in dicta Basilica, Venerabilem Fratrem nostrum Franciscum Sfondratum Vicarium suum constituerit et deputaverit.* Confirmat idipsum, tum citata Bulla Alex. VII *Pastoralis Officii etc.,* tum Praxis hodierna, qua videmus Vicarios Basilicarum ab Eminentissimis respective Archipresbyteris huic muneri praefici ac deputari. Advertas tamen cum Card. de Luca *in Miscel. disc.* 23, *n.* 12, quod ii Vicarii quamvis a Cardinali sint constituti, non censentur tamen eius Cardinalis familiares in ordine ad regulas Cancellariae pro reservationibus Apostolicis, et pro iure Cardinalium in nominationibus.

5. Licet a Cardinali Archipresbytero constituatur eiusmodi Vicarius, ut diximus, nihilominus id intelligas *regulariter,* nam *quandoque* ab ipso Papa sive audito, sive etiam non audito Cardinali Archipresbytero constituitur, prout de facto per litteras in forma Brevis nonnulli a Papa constituti reperiuntur Basilicarum Vicarii.

6. Modus constituendi eiusmodi Vicarium est regulariter per litteras patentes Cardinalis

Archipresbyteri, in quibus nulla est a iure praescripta stabilis ac certa verborum forma. Hinc variae circumferuntur harum litterarum formae, quas infra annectam. Omnes tamen substantiam habent Mandati et Potestatis Vicario commissae.

7. Dixi *regulariter*, nam aliquando fit talis constitutio per Breve Pontificium, aut etiam per solum verbum ipsius Archipresbyteri, non enim ad constituendum Vicarium necessaria est scriptura, ut firmant cum Sbroz. lib. 1 q. 64, Piring., Pax Iordanus, aliique, nisi forte quando in contentione iudiciali probandus esset Vicariatus, tunc enim scriptura publica et solemnis requireretur; siquidem Mandatum Principis probari nequit, nisi per scripturam iuxta L. *unic. Cod. de Mandat. Princip.* Excipe ab hac generali regula duos casus, in quibus sine scriptura adhuc haberetur Vicariatus probatio: horum alter est, si praesens sit Cardinalis Archipresbyter, qui de commisso a se Vicariatu huic determinatae Personae testetur; alter est si Vicarius sit Episcopus, nam tunc ratione dignitatis standum esset eius dicto quoad ea quae veniunt ex generali commissione, secus quoad ea quae speciale Mandatum requirunt, *ex Leuren. q.* 35.

8. Forma autem qua in scriptis constituitur eiusmodi Vicarius est tenoris sequentis, videlicet.

I.

Annibal Miseratione Divina Episcopus Portuensis et S. Rufinæ, Card. S. Clementis, S. R. E. Camerarius, et Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe Archipresbyter.

DIlecto nobis in Christo Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Aloysio Matthaei Camerae Apostolicae Clerico salutem in Domino. Cum Vicariatus Sacrosanctae Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe vacaverit, et vacet, cujus collatio, provisio, et omnimoda dispositio ad nos ratione Archipresbyteratus dictae Basilicae pertinet et spectat, Te Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum Aloysium Matthaei, de cujus Prudentia, Virtute, et Probitate valde confidimus, vigore praesentium in Vicarium praefatae Basilicae cum omnibus honoribus, oneribus, juribus, facultate, et emolumentis solitis, et consuetis, ut supra eligimus, et deputamus. Mandantes Reverendissimo Capitulo, et Clero, ut Te pro tali in omnibus admittant, recipiant, et recognoscant. In quorum fidem etc. Datum Suriani die 27 Septembris 1743.

A. Episcopus Portuensis Cardinalis
S. Clementis Archipresbyter

II.

Venerabili Fratri Ioachimo Ferdinando Patriarchæ Antiocheno.

CLEMENS PP. XII.

VEnerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem. Eximia Fraternitatis tuae in Nos et Apostolicam Sedem merita, aliaque insignium virtutum dona, quibus Te ab illarum Largitore Altissimo multipliciter decoratum esse novimus in causa sunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut Nobis innotuit Venerabilis Frater noster Annibal Episcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis Albanus nuncupatus, Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe Archipresbyter, Officium Vicarii eiusdem Basilicae Tibi in locum bonae memoriae Ioannis Francisci Nicolai, dum vixit Archiepiscopi Myrensis, ac eiusdem Basilicae Vicarii nuper defuncti demandaverit. Nos sperantes Te officium huiusmodi ex animi Nostri sententia administraturum esse, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a iure vel ab homine quavis

occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes. Te in praefato officio Vicarii dictae Basilicae, de consensu memorati Annibalis Cardinalis Episcopi, et Archipresbyteri praedictae Basilicae, auctoritate Apostolica tenore praesentium ad tui vitam cum facultatibus, auctoritatibus, praerogativis, et privilegiis, salariis, iuribus, ac honoribus et oneribus solitis ac consuetis, confirmamus, et quatenus opus sit eiusdem Basilicae Vicarium auctoritate et tenore praefatis quoad vixeris, de novo facimus, constituimus, ac deputamus. Mandantes propterea dilectis Filiis Capitulo et Canonicis memoratae Basilicae, ceterisque ad quos spectat, ac spectabit in futurum, ut Te ad demandatum Tibi per praesentes Vicariatus Officium, illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant, et admittant, Tibique in omnibus ad idem Officium spectantibus faveant, pareant, et assistant respective, ac tua salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive pœnam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiter observari.

Non obstantibus apostolicis, ac Vniversalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, Basilicae supradictae, et aliis quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem Basilicae, illiusque pro tempore existenti Archipresbytero, Capitulo et Canonicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentium pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXX Decembris MDCCXXXVII Pontificatus Nostri Anno Octavo.

9. Qualis vero sit deputandus in Vicarium, explicuit Alex. VII in sua Constitutione incipiente *Pastoralis Officii* per haec Verba *Vicarios deputent* (Archipresbyteri) *Prælatos graves, et probos, qui non sint Canonici eiusdem, aut alterius Ecclesiae, nec ad aliquam Residentiam obligati, ac tali doctrina, et*

pietate præditos, ut Ecclesiæ Iura tueri, et causas ac iudicia per se ipsos cognoscere, et iudicare valeant. Ex quibus liquet Vicarium debere esse *Prælatum,* ac praeterea virum gravitate, probitate, ac doctrina praeditum.

§. III.

De Officio et Obligatione Vicarii Basilicarum.

10. OFficium Vicarii Basilicarum est praeesse, curam gerere, ac deservire Basilicae in iis, quae pertinent ad Archipresbyterum, cuius ipse est Vicarius; nam assumitur ut vices gerat ipsius Archipresbyteri, et ut ipse Archipresbyter se excusare possit ab obligatione assistendi seu inserviendi. Hinc si Vicarius omitteret assistentiam et servitium, quod requirunt Constitutiones Basilicae ab Archipresbytero, teneretur huic ad damnum, et interesse, prout firmant de Coadiutore respectu Coadiuti Garcias p. 4, cap. 5, n. 56, et Castrop. tract. 13, disp. 1, p. 10; quinimo idem Vicarius cogi posset ad serviendum, si retento Vicariatu servitium omitteret, nam ipse se obligavit, seu consensit tali obligationi, et congruam pro servitio mercedem recipit. Haec autem coactio

facienda esset per iudicem censuris, aliisque iuris remediis.

11. Hinc etiam tenetur Vicarius invigilare, ut in Basilica omnia rite compositeque fiant, quae ad divinum cultum pertinent; videlicet, ut ordinatus sit accessus ac recessus a Choro, ut servetur congrua canendi ac modulandi ratio, ut sufficiens sit Ministrorum numerus, nec appareat defectus notabilis Ministrorum, ut silentium ac modestia Ecclesiasticis personis ac locis debita respective observetur. Ne in Choro litterae, librique, aut alia scripta legantur, ex Pauli V Const.; item sollicite providere debet, ne unquam in Basilica omittatur Chorus ex Clementin. 1. de Celeb. Missar., ita ut graviter ipse peccaret, si Chorus absque iusta ac rationabili causa omitteretur. Ratio est manifesta, quia ad Praelatum et Superiorem Communitatis spectat curare, ut obligationes Communitatis exequutioni mandentur, siquidem ipsi commissum est regimen Communitatis: cum autem Vicarius ex Constitutione Alex. VII *Pastoralis Officii* sit Superior illius Ecclesiasticae Communitatis, et *Præfectus Chori*, nec ipse solus hanc obligationem recitandi Officium Divinum in Choro exequi possit, sequitur obligatum esse diligentiam adhibere, ut alii exequantur.

12. His tanquam certis praemissis. Quaeres 1. Quandonam, et quoties Vicarius Choro interesse debeat? R). Intererit tunc, et quoties iuxta Basilicae Constitutiones interesse debet Archipresbyter, ipse enim partes et onera ipsius sustinet. Archipresbyter autem ex citata Alex. VII Constitutione, tenetur Choro interesse omnibus diebus Festis, ac praeterea omnibus illis diebus solemnioribus, quibus omnes et singuli tum Canonici, tum Beneficiati, tum Clerici interesse obligantur. Quare his omnibus diebus Chorum adire debet Vicarius.

13. Quaeres 2. An quando Archipresbyter est infirmus, aut alias legitime impeditus a Choro, tunc adhuc Vicarius teneatur interesse? R). Rem posse considerari in concreto et in abstracto. Si res consideretur in concreto, ea pendet a peculiaribus singularum Basilicarum Constitutionibus, nec non a diuturna et legitima in illis consuetudine, itidemque a contractu inito inter ipsum Archipresbyterum et Vicarium; etenim si Archipresbyter relative ad dictas constitutiones et consuetudines id exegerit, et Vicarius huic obligationi consenserit, ad eam utique ipse tenebitur. Caeterum si res consideretur in abstracto, ac mere de iure, tunc si pro eo casu Vicarius abesset, non propterea Archipresbyter amitteret distributiones; nam non debet ipse esse deterioris conditionis ex

eo quod Vicarium habeat, unde sicuti illi distributiones deberentur quando non habens Vicarium abesset a Choro ob infirmitatem; *Ex Cap. unic. de Cleric. non resident. in* 6. ita eaedem illi debentur quando habens Vicarium ob eamdem causam absit, etiamsi Vicarius non assistat et intersit. Quod ulterius suadetur, quia habere Vicarium non est onus, sed privilegium Archipresbyteri: cum autem nemini debeat esse nocivum, nec retorqueri in eius damnum quod in eius favorem concessum est, iuxta *Cap. quod ob gratiam de Reg. Iur. in* 6, sequitur quod Archipresbyter non sit privandus iure potiundi distributionibus in casu infirmitatis ex eo quod habeat Vicarium.

14. Quaeres 3. An Vicarius excludendus sit a Choro, nec admittendus ad inserviendum Ecclesiae, quando forte Archipresbyter esset iuste excommunicatus? R). Distinguendum esse, nam vel Vicarius constitutus est a Pontifice per Breve, uti aliquando fieri consuevit, vel constitutus est solum ab Archipresbytero: Si fuit primo modo constitutus, non est ullatenus excludendus, siquidem Vicariatum non gerit ex potestate accepta ab Archipresbytero, sed a Papa. Si autem secundo modo, tunc excludendus esset, siquidem ipse repraesentat Archipresbyterum, a quo habet potestatem, et cuius potestas pro eo tempore cessat

quoad exercitium. Id tamen intelligas quando Archipresbyter non solum esset iuste excommunicatus, sed etiam nominatim denunciatus; etenim nominatim non denunciatus retinet suam Potestatem etiam quoad exercitium, iuxta Extravag. Martini V.

15. Quaeres 4. An Vicarius teneatur ad personalem Residentiam in Vrbe? R. Advertendum primo esse Vicariatum eiusmodi non esse Beneficium, et licet sit Dignitas, quandoquidem habet praeminentiam cum iurisdictione, non esse tamen Dignitatem per se stabilem, atque idcirco si qua in ipso requiritur Residentia, hanc non importare effectum absolutae incompatibilitatis cum aliis Dignitatibus, Officiis, ac Beneficiis etc. Advertendum secundo Residentiam in loco Officii vel Beneficii expostulari ad effectum personaliter deserviendi ipsi Officio vel Beneficio, ut recte expendit Leurenius in Foro Benef. p. 1, q. 363, ita ut finis Residentiae sit actuale ipsum ac personale servitium.

Hoc posito: Vicarius Basilicarum tenetur residere in Vrbe, ita ut iuridice privari possit Vicariatu si non resideat; imo censeatur illi tacite renunciare si ab Vrbe discedat, animo non redeundi. Prima pars probatur: Quia obligatus ad finem, obligatur ad ea quae sunt ad finem; cum autem Vicarius ex contractu vel

quasi contractu inito cum Archipresbytero, teneatur ad deserviendum personaliter Basilicae, consequens est ut teneatur ad residendum in Vrbe utpote medium necessarium ad personale servitium Basilicae. Altera pars probatur, quia Vicario non deserviente damnum emergit tum servitio Ecclesiae, tum Archipresbytero; unde sicuti ab Archipresbytero potest obligari ad interesse pro sua indemnitate, ita a competenti Iudice Vicariatu privari potest pro retinendo servitio Basilicae. Tertia pars etiam probatur, quia ut constat ex Cap. *Præsentata* de testibus, Ille cui mandata est iurisdictio, si de loco recedat ubi erat exercenda, et habeat animum vel obligationem non redeundi, amittit iurisdictionem seu censetur illi tacite renunciare.

16. Quaeres 5. An peccet Vicarius non residendo per longum tempus in Vrbe? R). Distinguendum esse inter casum, in quo ipse resarciat Archipresbytero damnum illi emergens, et casum in quo tale damnum ipse non resarciat. In secundo hoc casu, certum videtur ipsum peccare quia non stat contractui cum damno tertii. In primo autem casu potest esse dubium quia ex una parte non videtur peccare, quandoquidem tota obligatio assistendi Choro, et consequenter residendi in Vrbe, non illi nascitur ex titulo beneficii sed praecise ex stipendio, quod accipit ab Archipresbytero;

ergo si cedat huic stipendio refundendo illud in Archipresbyterum, excludit a se totam obligationem: ex alia parte videtur peccare, quia omittere ea quae sibi competunt ratione proprii muneris, est per se grave peccatum, cum autem Munus Vicarii qua talis, sit assistere Choro, et consequenter residere in Vrbe, erit peccatum per se grave hoc omittere per longum tempus. Ceterum existimo inspiciendum esse utrum ex ipsius diuturna absentia grave patiatur detrimentum servitium Ecclesiae, et Cultus Divinus nec ne? Si grave detrimentum patiatur, peccabit quia ad ipsum spectat non praecise ratione stipendii , sed etiam ratione Officii quod sustinet, providere ne Ecclesiae seu Basilicae servitium grave detrimentum patiatur, quod si hoc ex sua culpa evenerit, illi imputabitur ad peccatum unde in tali casu non residendo peccabit per se graviter. Secus dicendum si aut nullum Basilicae servitium patiatur detrimentum, aut valde leve.

17. Quaeres 6. An Vicarius Basilicae possit sibi assumere dies recreationis, et abesse ab Vrbe, sicuti potest Archipresbyter? R). Si sermo sit in abstracto, et attento iure communi, affirmative , ita tamen ut Vicarius non possit habere tres menses , et Archipresbyter tres menses alios ; sed iidem tres menses inter utrumque sint consumendi, ut nimirum eodem

trimestri quo abest Vicarius, abesse possit Archipresbyter, vel si abfuit Vicarius per totum Septembrem, et medium Octobris, Archipresbyter possit abesse sesquimensi alio v. g. Novembri, et medio Octobri. Ratio *assertionis* est quia Privilegium Conciliare concessum est ob servitium continuum totius anni, quod ex quadam aequitate temperandum est interposita trium Mensium recreatione, adeoque etiam Vicarius toto anno assistens, et praestans servitium eo privilegio frui debet. Ratio *limitationis* est, quia aliter prorogaretur Privilegium contra mentem Concilii. Dixi *si sermo sit in abstracto*, nam si sermo sit *in concreto* usus Vaticanae Basilicae fert, ut Vicarius semper, ac toto anno debeat Communibus interesse.

18. Quaeres 7. An Vicarius Basilicae ex vi Vicariatus teneatur ad recitationem Horarum Canonicarum? ℟. Etiamsi Vicarius teneatur statis temporibus Choro interesse, ibique Divina Officia recitare loco Archipresbyteri, non tenetur tamen ad horas recitandas ex vi solius Vicariatus, quando Choro non intersit, et sit extra illum. Ratio est quia Vicariatus non est Beneficium, cum non sit ius percipiendi fructus annuos *collatum in perpetuum etc.*

19. Quaeres 8. An Vicarius, qui ratione Ordinis tenetur ad Horas Canonicas, possit

recitare in Choro partem Officii, iuxta ritum Basilicae, et aliam partem extra Chorum iuxta communem Ritum Romanum? ℟. Sciendum est 1. Basilicam Vaticanam adhuc uti Psalterio priscae Romanae editionis, quo ante S. Pium V utebatur Roma dumtaxat, eiusque Districtus, estque illud quod, teste Card. Bona de Sacra Liturg. lib. 2, cap. 3, extabat ante S. Hieronymum; pars antiquissimae illius Versionis, quae fidem Ecclesiae nascentis in Occidentalibus regionibus nutriverat.

Sciendum est 2. Vicarium Basilicarum esse respective addictum Ritui suae Basilicae, quia addictus sive stabiliter sive ad tempus alicui Ecclesiae, aut alicui Coetui, intelligitur addictus Ritui quem profitetur illa Ecclesia vel ille Coetus, ut colligitur ex Bellarmino lib. 1, cap. 18. *de Bonis Operibus*. Cum autem Vicarius Basilicae sit temporaliter addictus suae Basilicae, sequitur ut pro tempore Vicariatus censeatur addictus Ritui quem profitetur sua Basilica.

His praemissis. Aio Vicarium Basilicae non solum in Choro, sed etiam extra illum quando privatim recitat ex obligatione Ordinis Sacri, teneri recitare iuxta Ritum suae Basilicae, et consequenter Vicarium Basilicae Vaticanae teneri etiam extra Chorum uti psalterio antiquissimae illius Versionis: non

esse tamen arguendum de peccato Vicarium eiusdem Basilicae Vaticanae, si privatim ex *rationabili* causa, *aliquoties* utatur psalterio communi, quamvis partem Officii puta Matutinum recitaverit in Choro ex Psalterio antiquae Versionis.

Prima assertionis pars probatur. Quia licet Ritus Basilicarum Vrbis, etiam Vaticanae sint quidem aliqualiter diversi a Ritu communi Romano, non ita tamen sunt diversi, ut *specifice*, sed solum *numerice* a communi Romano differant iuxta ea quae docet Card. Bona lib. 1. Liturg. cap. 7, et consequenter satisfaciat suo oneri quoad substantiam, qui obligatus recitare iuxta Ritum Basilicae, recitet iuxta Ritum communem Romanum: Nihilominus quaedam deordinatio in hac materia est, quod Pars non se conformet suo Toti, atque idcirco Vicarius, qui est Pars Ecclesiastici illius Coetus, debet huic se accomodare, et servare Ritum talis Coetus etiam extra Chorum, sicuti etiam extra Chorum addicti huic Basilicae servant Ritum Basilicae.

Altera pars probatur: nam si Vicarius ex *rationabili fine*, *et aliquoties* utatur Psalterio communi Romano extra Chorum, non propterea statim arguendus est de peccato, siquidem etiam sic retinet formulam legitimam precandi quoad substantiam: haec enim non

tam ex veteri, aut Romana communi Versione, quam ex sensu verborum, approbato idiomate, et legitima dispositione constat.

Dixi: *ex rationabili fine, et aliquoties: nam nullo intercedente bono fine* non evitaretur veniale *propter deordinationem*, item si hoc fieret non aliquoties, sed passim, sine delectu et communiter, non excusaretur saltem a veniali; nam licet nonnulli cum Emmanuele Sà V. Hor. Can. n. 6. velint obstrictum orare more suae peculiaris Ecclesiae, posse extra Chorum orare iuxta morem communem Romanae Ecclesiae nisi obstet praeceptum aliquod speciale, uti obstat praeceptum S. Caroli respectu Ambrosianorum; nihilominus non id facile permittendum propter deordinationem et difformitatem Partis cum suo Toto; praesertim cum illa frequentia et consuetudo sapiat quemdam contemptum sui peculiaris et approbati ritus.

Dixi etiam: *quamvis partem Officii recitaverit in Choro ex Psalterio antiquae Versionis;* nam utraque versio approbata ac legitima est respectu Vicarii Basilicae Vaticanae, nec est deordinatio culpabilis si *raro*, et cum *rationabili* causa id fiat.

§. IV.

De potestate Vicarii Basilicarum Vrbis

20. POtestas Vicarii Basilicarum metienda est ex potestate quam habent earumdem respective Archipresbyteri. Haec autem olim erat amplissima; nam Archipresbyter Vaticanae ex Pauli III Constitutione 35 incipiente *Cum dilectus etc.* habebat iurisdictionem cognoscendi omnes causas tam civiles, quam criminales (citra tamen poenam sanguinis, et corporis afflictionem) inter Canonicos, Capitulum, et Beneficiatos, Clericos, et Capellanos ex una parte et quascumque alias personas, loca, collegia, vel universitates quantumcumque privilegiatas ex alia, vel inter ipsosmet motas, et movendas super quibuscumque rebus tam active, quam passive, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ac manu regia absque terminis substantialibus, et alicuius telae iudiciariae observatione, sine confectione registri, et quacumque appellatione etiam non frivola remota. Cum facultate in Curia et extra citandi, et inhibendi. Iuramenta per-

sonarum dicti Capituli relaxandi ad effectum agendi. Quibuscumque non obstantibus.

21. Praeterea ex Sixti V Constitutione 102 incipiente: *Cum ex debito etc.* haec eadem iurisdictio confirmatur, et ex parte ampliatur, nam datur facultas summarie, et appellatione postposita etiam non frivola procedendi, causas ab aliis iudicibus reassumendi, singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedendi, commissiones manu Papae non signatas non attendendi, et alia eiusmodi.

Item ex eadem Sixti Constitutione confirmatur privilegium, et auctoritas per Paulum III et Pium IV emanata super collatione Beneficiorum, ita ut possit Archipresbyter, teste Cohellio, conferre beneficia in Vaticana Basilica vacantia exceptis iis, quae ex Cancellariae Regulis ad Apostolicam Sedem sunt reservata.

Ex eadem pariter Constitutione datur Archipresbytero potestas Ordinaria et quasi Episcopalis in ea Basilica per haec formalia verba: *Dantes etiam tibi* facultatem *exercendi munia Pontificalia in Basilica praedicta, ac ordinariam etiam in spiritualibus iurisdictionem super Canonicis, Beneficiatis, Clericis, ac Ministris praedictis, ita ut a te, vel de tua licentia tantum, nec alias a quocumque Catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente per te*

deputando ad omnes etiam Sacros, et Presbyteratus Ordines promoveri. Tuque et Antistites huiusmodi eos promovere, absque nostra vel successorum nostrorum, aut Vicarii, vel cuiusvis alterius Ordinarii licentia, dimissoriis, aut examine, licite possitis, ac debeatis.

Accedit ex eadem Constitutione alia satis ampla facultas super Collegio Fabricae praefatae Basilicae, ita ut in eo Archipresbyter superioritatem teneat, causas interesse dictae Fabricae concernentes cognoscat, Officiales reformet etc. Ex quibus apparet amplissimam olim fuisse Archipresbyteri Basilicae Vaticanae potestatem. Non desunt, qui validis rationum momentis suffulti censeant in eumdem Basilicae Vaticanae Archipresbyterum derivatam esse auctoritatem, quam olim obtinebat Episcopus Portuensis. Is quippe ex Constitutione Ioannis XIX, quae extat apud Vghellium tom. 1. Italiae Sacrae, iurisdictionem, et Ecclesiastica Iudicia exercebat in tota Civitate Leonina, imo ea omnia Ecclesiastica Officia, quae Pontifex impeditus ibidem exequi non valeret, ad Portuensem spectabant Episcopum: *nec non* inquit Ioannes XIX, *cuncta sacra Officia seu Mysteria, quae nos et successores nostri facere debemus, si aegritudine, vel aliqua cura impediti facere non possu-*

mus, tam in supradicta Ecclesia S. Petri, et Monasteriis suis, quam per totam Civitatem Leoninam per vos, vestrosque successores fieri Apostolica auctoritate decernimus.

22. Nunc vero per varios Pontifices aliquantulum restricta est haec Auctoritas Archipresbyteri, nam *Iudicialis Potestas* olim illi collata a Paulo III et Sixto V, ferme sublata est per Decretum Innoc. XII quo hic Pontifex redegit Tribunalia ad Ius commune sive ad Iudices Ordinarios Romanae Curiae, idem tamen ibidem declarat: *quod per praesentem Ordinationem non censeatur ullo modo adempta Cardinalibus Archipresbyteris... eorumque Vicariis, aliisque Deputatis facultas, seu iurisdictio in his, quae concernunt servitium Ecclesiae seu loci pii, circa disciplinam Ecclesiasticam, et morum correctionem dumtaxat:* Quare adhuc aliqua ex parte personam iudicis Archipresbyter gerit, videlicet, *circa disciplinam Ecclesiasticam et Morum correctionem:* unde ad ipsum spectat cognitio et correctio minorum quorumdam delictorum, ac iurgiorum inter Clericos Basilicae, eaque correctio intelligenda est de correctione, quae fit *verbis, monitionibus,* ac *praeceptis,* ut colligitur ex Fagnano *Cap. ad haec de Archidiac.* immo poterit modicam poenam imponere v. g. suspendere ad

modicum tempus, ut loc. cit. notat idem Fagnan., similiter poterit excessus, quorum cognitio et correctio ad ipsum spectat, punire *mulcta pecuniaria*, idque non solum quando Constitutiones Basilicae poenam aliquam pecuniariam pro delicto, vel hanc aut illam, sed etiam quando nulla determinant, nec solum pro coercenda contumacia, sed etiam directe pro excessu diffinitivam pronunciando sententiam: ex Leuren. de Archidiac. quaest. 149. Accedit non improbabile esse, quod Archipresbyter Basilicae Vaticanae, utpote habens ex Privilegio Sixti V iurisdictionem ordinariam in spiritualibus pro foro etiam externo, possit ferre censuras, et in specie excommunicare delinquentes Basilicae Clericos et Ministros. De hoc tamen nihil statuo, imo sapientissimo Censori improbabile hoc visum est.

23. *Quoad Beneficiorum collationem* Vrbanus VIII in sua septima Constitutione post alios Pontifices, uti testatur Card. Lauria, reservavit Canonicatus, Dignitates, et maiora Beneficia, quod ideo factum censet Gonzalez gloss. 13 num. 26 quia *Archipresbyteri et Capitula Patriarchalium habent certa privilegia et indulta a diversis Pontificibus concessa conferendi Beneficia illarum Ecclesiarum, unde ne possint conferre Dignitates, et*

Canonicatus seu alia maiora Beneficia, fuit inducta dicta reservatio. Adhuc tamen Archipresbyter quaedam beneficia conferre solet.

24. Quamobrem de praesenti Archipresbyteri Vaticanae Potestas praeter superioritatem Fabricae extenditur ad rectam Basilicae gubernationem in iis quae concernunt servitium Dei, disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem, item ad collationem aliquorum beneficiorum, et ad ordinariam in spiritualibus iurisdictionem in Canonicos, Beneficiatos, Clericos, et Ministros cum facultate exercendi Pontificalia, promovendi ad sacros Ordines, dandi dimissorias etc. Haec eadem, sed *limitate* competunt Archipresbytero Lateranensi, ac S. Mariae Maioris: dixi, limitate, siquidem facultatem hi non habent promovendi ad sacros Ordines, dandi dimissorias, nec sunt Ordinarii in spiritualibus respectu Ministrorum suae respective Basilicae.

25. Archipresbyteri potestas communicatur Vicario ab ipso iure, nam leges Pontificiae conferentes Potestatem Archipresbytero expresse diriguntur tum ad Archipresbyterum, tum ad ipsius Vicarium, ut patet ex Constitutione Sixtina habente haec formalia Verba: *Ad Te quamdiu Archipresbyteratum praedictum obtinueris, tuumque et dictae Basilicae Vicarium:* Quare statim ac Praelatus

deputatur in Vicarium omnis in eum Archipresbyteri Potestas derivatur, exceptis iis, quae expresse vel ex praxi Archipresbyter sibi reservat, quaeque requirunt speciale mandatum, vel quae Archipresbyter potest sive ut delegatus Papae, sive ut Pars Capituli, sive ex speciali Privilegio. Neque obstat quod eadem potestas et iurisdictio nequeat esse penes duos, sicuti eiusdem rei possessio et dominium nequit esse in solidum penes duos; nam hoc repugnaret, quando eadem potestas *eodem modo* esset penes duos, sècus vero quando in altero est *principaliter et independenter*, in altero vero est *accessorie, et dependenter*, prout contingit in casu nostro, in quo Archipresbyter potestatem habet principaliter, et independenter, Vicarius autem accessorie, et dependenter ab Archipresbytero constituente.

26. Ex quibus omnibus liquido constat Potestatem Vicarii Basilicarum non esse exigui momenti, nam in primis ipse, cum potestate praeest Basilicae, *quoad eius Divina Officia et servitium Ecclesiasticum*, praeest eiusdem Clero ac Ministris *quoad disciplinam et morum correctionem*, praeest Choro *tamquam Chori Praefectus;* et in Basilica Vaticana praeest Basilicae, Clero et Ministris *tanquam Ordinarius in spiritualibus*, in quo valde differt ab Vicariis aliarum Basilicarum, hi quippe

ut dixi non sunt Ordinarii, seu non pollent auctoritate quasi Episcopali respectu Cleri, et Ministrorum earumdem, cum peculiare id sit Vaticanae Basilicae, ut potiatur exemptionem, et Archipresbyter ipsius iurisdictionem spiritualem obtineat in personas illi adscriptas, adeo ut haec Basilica vel habeat propriam qualitatem *Nullius*, ut nonnulli contendunt; vel saltem habeat *impropriam et ad instar*. His praemissis agendo potissimum *de Vicario Vaticanæ Basilicæ*, ac praescindendo ab aliis, in quos tamen plura quae dixero, recte congruere non inficiar, quaestiones aliquas enodabo.

I.

27. Quaeres 1. An Vicarius Basilicae possit interesse Capitulo quando a Canonicis fiat? R). Non solum posse, sed etiam teneri, non habere tamen in eo ius suffragii. Probo. Quia ex Constitutione Alexandri VII *Pastoralis Officii etc.* expresse Vicario praecipitur eiusmodi interessentia; En verba: *Singulisque Capitulis, et Congregationibus Capitolaribus intersint:* addidi non ipsi *competere ius suffragii;* quia non est Pars Capituli, siquidem non est Canonicus, nec Archipresbyter, et quamvis vices gerat Archipresbyteri, hic tamen non solet ius suffragii in sua absentia committere

alicui qui non sit membrum Capituli, etenim si extraneo, puta, suo Vicario committeret, hunc non teneretur Capitulum excipere. Ex cap. 46 de Elect.

28. Quaeres 2. An si Capitularium vota sint paria in Capitulo, possit Vicarius assentiendo uni parti maiorem partem efficere? ℟. Negative, quia cum ipse non sit de numero et nomine Capitularium, non habet votum in Capitulo, ut diximus, et consequenter nequit accessu suo maioritatem illorum complere. Excipe. Nisi aliter per Constitutiones particulares cautum, vel consuetudine introductum fuerit.

29. Quaeres 3. An possit cogere Canonicos, Beneficiatos, et Clericos in Sacerdotio constitutos, ut Missam celebrent omnibus diebus Dominicis, et festis de praecepto? ℟. Vicarium Basilicae Vaticanae id posse, siquidem expresse haec facultas illi conceditur ab eiusdem Basilicae Constitutionibus num. 45, coactio autem facienda esset indicta poena amittendi quotidianas distributiones illius diei, quae accrescerent aliis eodem die celebrantibus, et communicantibus. Ex Const. Basilicae ibidem.

30. Quaeres 4. An possit mulctare ac procedere contra eos sive Canonicos, sive Beneficiatos, sive Clericos, qui absque licentia antequam hora finiatur, e Choro exierint? ℟.

Affirmative, et mulcta vel erit amissio illius Horae, vel alia arbitrio eiusdem Vicarii. Idem dicendum contra eos, qui finita Hora Canonica, sed non finita Hora Officii B. Virginis quando in Choro recitatur, ab eodem Choro discesserint. Ex Basil. Const. num. 21, 22.

31. Quaeres 5. An, et quomodo possit procedere contra absentes per longum tempus a Choro absque debita licentia? ℟. Posse tum inhaerendo Constitutioni Nicolai III quae decernit absentem per annum continuum absque licentia sive Archipresbyteri, sive Vicarii esse *ipso iure* privatum praebenda, tum inhaerendo dispositioni Concilii Tridentini sess. 24 cap. 12 de Reformatione qua sancitur Canonicum absentem sine iusta causa ac licentia ultra tres menses in anno etc., privandum esse eo anno omnibus fructibus, quos labente eodem anno lucratus fuerit. Ita enim expresse cautum est per eiusdem Basilicae Constitutiones num. 26.

32. Quaeres 6. An Vicarius possit Canonicis, Beneficiatis, et Clericis concedere ut per tres menses absint? ℟. Quamvis ex Concilio Tridentino concessum sit Canonicis, ut possint per tres menses in singulos annos abesse, nec ad talem absentiam, ut notat Barbosa alleg. 53 num. 118 in rigore requiratur allegatio causae, vel petitio licentiae Superioris; nihilominus sive ex Constitutionibus Basilicae, sive ex con-

suetudine, sive ex eo quod tot solum Canonici eodem tempore abesse possunt, quot iudicaverit arbitrio suo Archipresbyter, vel Vicarius, merito solent Canonici, vel Beneficiati, vel Clerici discessuri Vicarium convenire, ab eoque licentiam petere, qui illam impertit, ita tamen ut absentia non prorogetur ultra tres menses nisi occurentibus causis a iure communi, vel constitutionibus Apostolicis concessis, et ita ut pro tempore absentiae sive id fuerit trium mensium, sive citra tres menses, absentes non lucrentur distributiones, sed solum fructus grossos. Perceptio siquidem distributionum non potest concedi cuiquam absenti neque ab Archipresbytero, neque a Capitulo, neque ab utroque simul: ex Const. num. 27.

II.

33. Quaeres 7. An Vicarius possit corrigere non servantes in Choro, in Sacristia etc. debitam modestiam, silentium, et Clericalem gravitatem? ℟. Quamvis Innoc. XII, ut diximus, ademerit Archipresbyteris Basilicarum cognitionem iudicialem causarum ad forum externum spectantium, reliquit tamen iisdem iurisdictionem circa disciplinam Ecclesiasticam, et morum correctionem. Hinc Archipresbyter Vaticanae Basilicae utpote habens

iurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem posset aliquorum excessus vel delicta minora modo, ac pœnis supra relatis, et quod non ausim statuere, etiam censuris corrigere, et coercere. Haec tamen potestas non est complete etiam in Vicario *sine speciali mandato;* causae quippe criminales computantur inter graviora quae indigent speciali mandato. Potest nihilominus Vicarius sine speciali commissione corrigere culpas aliquas leviores circa modestiam, silentium, cantum Ecclesiasticum etc., ideoque etiam potest poenas aliquas leves v. g. mulctas pecuniarias, suspensionem temporalem ab Officio, et similes iniungere; nam omnis iurisdictio, praesertim ordinaria, annexam habere debet potestatem aliquam coercitivam, saltem modicam, ne alioquin sit inefficax iuxta *L. ult. ff. de Offic.* eius vi iurisd.

34. Quaeres 8. An possit extraiudicialiter terminare omnes lites, quaestiones, et controversias quas inter ipsos Beneficiatos aut aliquem ipsorum ex una parte, et Capitulum seu aliquem de Capitulo ex altera interdum oriri contigerit? ℟. Affirmative. Habetur haec Vicarii facultas expressa in Constit. Basil. num. 14 tit. de Beneficiat. Nec eam Innocentianae restrictioni aut revocationi subesse dixeris, siquidem Innocentiana revocatio non comprehendit ter-

minationem litium extraiudicialiter, ex bono et aequo ad arbitrium Superioris, aut Praelati.

35. Quaeres 9. An Vicarius possit corrigere, ac proportionata aliqua pœna punire Mansionarios, aliosque inferiores servientes Ecclesiae, quando in Officio delinquant? ℟. Archipresbytero, eiusque Vicario Potestatem competere circa ea quae concernunt servitium Ecclesiae seu loci pii, ut constat ex Bulla Innoc. XII citata. Quare tum Archipresbyter, tum eius Vicarius possunt servientes Ecclesiae sive Clericos sive Saeculares metu poenarum, puta, amotionis ab Officio, alicuius mulctae etc. in Officio continere, ac delinquentes de facto punire.

36. Quaeres 10. An possit Vicarius Sacristiae supellectilem visitare, recognoscere, et ut de opportunis provideatur praecipere? ℟. Hanc potestatem, ut constat ex Basilicae Vaticanae Constitutionibus tit. de Sacrist. n. 1. competere Archipresbytero, ideoque non est dubium ex speciali saltem ipsius commissione competere etiam Vicario, qui curabit diligenter, ut vestimenta, et alia requisita ad servitium Altaris et Chori munda sint, et nitida, tum quia id praecipitur Praelatis Ecclesiarum in *Cap. Vestimenta de consecrat. dist.* 11, *tum quia nimis videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quae dedecerent etiam*

in prophanis, tum quia ii Praelati commendatione dignissimi sunt, qui Nepotianum apud S. Hieronymum in epist. ad Heliodorum imitantur, cui ex testimonio eiusdem S. Doctoris magna erat solicitudo: *Si niteret Altare, si Parietes absque fuligine, si pavimenta tersa ... Si Sacrarium mundum, si vasa luculenta etc.*

37. Quaeres 11. An possit Vicarius disponere, quae Pars supellectilis sacrae, quo tempore, et quibus Personis servire debeat? R). Id competere Archipresbytero, ut habetur ex Constitut. num. 2. tit. de Sacrist. et ex eius commissione Vicario, propterea dabit ipse operam, et invigilabit ut solemnioribus diebus nobiliora adhibeantur paramenta, et coloris convenientis Officio et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, nam inobservantia colorum praesertim in Basilica esse non posset nisi cum irreverentia Divini Cultus, et scandalo populorum, ut bene observat Clericatus *de Miss. decis.* 50. qui aegre id sine peccato fieri posse non sine fundamento existimat.

38. Quaeres 12. An Vicarius possit prohibere ne fiant quae indecentia vel scandalosa sive in sacris functionibus sive in Ecclesia, ac tali Ecclesia, ipse iudicaverit, puta, deambulationes, colloquia, strepitus, contractus, pla-

cita, et alia huiusmodi? ℟. Censuisse Sacram Congregationem, prout observat Novar. *part.* 2. *tit. de Eccl. Venerat.*, quod spectet ad Episcopum removere ab Ecclesiis indecentia, et scandalosa arbitrio suo. Cum autem tum Archipresbyter, tunc eius Vicarius habeant in Basilica Vaticana potestatem quasi Episcopalem, ad ipsos etiam spectabit eiusmodi indecentia ab ea Ecclesia arcere; praesertim cum severissime Concilia, et Patres exigant reverentiam in Ecclesiis; sacri vero Canones Cap. Decet de Ven. Eccl. mandent, ut ibidem *cessent vana, et multo fortius faeda, et prophana colloquia . . . sive quaecumque alia, quae divinum possunt turbare officium, aut oculos divinae Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea.*

III.

39. Quaeres 13. Quae et quanta sit Potestas Vicarii in ordine ad Sacramentorum Administrationem, Absolutionem ac Dispensationem? ℟. Meminisse oportet, quod supra diximus, Archipresbyterum Vaticanae Basilicae habere ex Sixti V Constitutione iurisdictionem etiam in spiritualibus relate ad Canonicos, Beneficiatos, et Clericos eius Sacrosanctae Basilicae. Hoc posito. Vicarius habet in

praefatas Personas iurisdictionem quasi Episcopalem ita ut omnia ferme in eas possit, quae possunt Episcopi circa suos subditos, exceptis fortasse iis, quae ad externam disciplinam Ecclesiasticam communem omnibus Clericis Saecularibus et Regularibus pertinent, et quae ad crimina graviora, et publice scandalosa punienda, ut collig. ex Abb. in Cap. Quanto de Off. ordin. Layman de iurisd. Ordin. Conclus. 117. unde Vicarius quantum spectat ad potestatem iurisdictionis, potest si habeat ordinem vel Presbyteratus, vel Episcopatus respective, omnia Sacramenta quorum tales Personae capaces sint ministrare, cum iisdem dispensare etc. et insuper hanc potestatem aliis delegare, cum ipse sit Ordinarius, ut dictum est.

40. Quaeres 14. An Vicarius possit in specie conferre seu ministrare Sacramentum Confirmationis quando ipse sit Episcopus, vel alteri Episcopo id delegare? R). Quemlibet particularem Episcopum non posse licite Sacramentum Confirmationis ministrare, nisi suis subditis et in loco propriae iurisdictionis. Quare Vicarius habens iurisdictionem quasi Episcopalem poterit quidem si fuerit Episcopus hoc Sacramentum conferre, sed solum personis sibi subditis, nempe Canonicis, Beneficiatis, Clericis, ac Ministris eius Basilicae, et

in eadem Basilica: dixi *Canonicis*, *Beneficiatis etc.*, nam utrum alii existentes in Civitate Leonina pertineant ad iurisdictionem Archipresbyteri, et Vicarii Basilicae Vaticanae? quaestio est a me non tractanda, sed sapientiori calamo, ac iudicio relinquenda. Caeterum si etiam isti confluant ad suscipiendum tale Sacramentum quando ministratur in ea Basilica, et *praesumatur* rationabiliter consensus illius, qui sit eorum Ordinarius, poterit Vicarius etiam istis hoc Sacramentum ministrare sicuti possunt Episcopi *stante ea rationabili praesumptione* advenas non Dioecesanos confirmare, uti cum Barbosa, ac Genuensi docet Castropalaus de Confirm. punct. 9. Vtrum vero, et quando fieri possit haec rationabilis praesumptio licentiae a Vicario Basilicae? non meum est decidere. Dixi etiam Vicarium posse hoc munus alteri Episcopo delegare, nam, ut supra dicebam, ille habet iurisdictionem Ordinariam, intelligas tamen, quod alter Episcopus, hoc ipsum praestet *in Basilica Vaticana, et personis subditis* Archipresbytero. De hac re consulatur Breve Clem. X. (1)

(1) Benedictus XIV P. M. literis apostolicis dat. VI calendas Aprilis 1752, quibus SS. Patriarchalis Basilicae Vaticanae vetera privilegia confirmat, ac nova in perpetuum concedit, quarumque initium *Ad honorandam*, indulget ut Cardinales Archipresbyteri per ipsos, vel per alios Antistites, in eadem Basilica quotannis infra Octavam natalitiae solemnitatis Ss. Apostolorum Petri et Pauli, principalium Almae Urbis Patronorum, singulis videlicet septem diebus eamdem solemnitatem immediate sequentibus, Sacramentum Confirmationis perpetuis futuris temporibus administrare et conferre valeant iis omnibus, ad eam undecumque in hunc finem confluentibus.

41. Quaeres 15. An Vicarius si fuerit Sacerdos possit Canonicos, Beneficiatos etc. ab omnibus peccatis, et Censuris a iure specialiter non reservatis absolvere, vel si non fuerit ipse Sacerdos alteri Sacerdoti idoneo eos absolvendi potestatem committere? ℟. Affirmative: Ratio est, quia ipse habet in Foro conscientiae ordinariam iurisdictionem circa tales personas, unde sicuti Regulares, ob eam causam possunt absolvere suos subditos etc. ita etiam Vicarius Basilicae Vaticanae Canonicos eiusdem etc. Beneficiatos etc.

42. Quaeres 16. An Vicarius possit dispensare cum Canonicis, Beneficiatis, et Clericis Basilicae circa vota, et leges Ecclesiasticas sicuti potest Episcopus cum suis subditis? ℟. Distinguendum esse inter ea quae Episcopi possunt iure ordinario quatenus Episcopi sunt, et ea quae possunt Episcopi iure speciali quatenus delegati Sedis Apostolicae sunt. Hoc posito. Vicarius ex speciali commissione Archipresbyteri potest dispensare cum praedictis circa ea quae pertinent ad potestatem ordinariam Episcopi, quia habet iurisdictionem quasi Episcopalem, non potest circa ea, quae pertinent ad illius potestatem delegatam, quia iurisdictio quae eo titulo competit Episcopis, non est Episcopalis sed Apostolica, eaque non est in Vicario, aut Archipresby-

tero. Dixi: *Ex speciali commissione Archipresbyteri.* Quia dispensatio aequiparatur restitutioni in integrum, quae in generali mandato non continetur *iuxta L. illud §. si satis ff. de minoribus.* Limites. Vt possit Vicarius sine speciali commissione in casibus frequenter occurrentibus, item in casu quo Archipresbyter valde remotus distet, item in casibus, in quibus Constitutiones Basilicae huiusmodi potestatem Vicario concedunt.

43. Quaeres 17. An Vicarius possit dispensare in interstitiis ad Ordines suscipiendos iuxta Tridentinum? ℟. Vicarium Basilicae Vaticanae id posse cum Canonicis, Beneficiatis, et Clericis Basilicae. Ratio est. Quia hanc potestatem dispensandi super interstitiis competere etiam Vicario Episcopi docent Sbroz. de Vic. Ep. l. 2. q. 43. Barbosa de Potest. Ep. p. 2. alleg. 18., Antonellus de Sac. Ord. cap. 3. etc. consequenter eadem etiam competit Vicario Archipresbyteri habentis iurisdictionem quasi Episcopalem; neque obstat Concilium Tridentinum id remittere arbitrio Episcopi, nam Vicarius sub Episcopi vel quasi Episcopi nomine continetur, nisi expresse excludatur.

44. Quaeres 18. An Vicarius possit dare dimissorias ad Ordines Clericis, et aliis Ministris Basilicae? ℟. Certum esse id posse Ar-

chipresbyterum Vaticanae, ut expresse habetur ex citata Constitutione Sixti V, et ex praxi ipsa constat; num vero talis facultas communicetur Vicario sine speciali mandato, et commissione Archipresbyteri, opinor, negat,ve respondendum esse ex paritate Vicarii Generalis Episcopi, qui easdem sine speciali commissione Episcopi nequit concedere, prout firmant Piring. n. 48. de Vic., Pax Iordanus lib. 3. tit. 6. num. 129., Ventriglia, Pignattellus, aliique apud Lauren. de Vic. q. 170. Limitarem hoc tamen ut non procederet; quando Archipresbyter degeret in remotis, quandonam vero Archipresbyter seu Episcopus iudicetur degere in remotis, Pax Iordanus putat relinquendum esse *arbitrio boni viri,* et haec sanior videtur sententia. Ex hucusque dictis facile unicuique constabit eam Vicario Basilicae praesertim Vaticanae inesse potestatem, ut non exigui, sed magni momenti existimandum sit Vicarii huiusce Munus ac Personam sustinere.

§. V.

De Praeeminentia Vicarii Basilicarum.

45. Non solum Potestas, sed etiam quae eam subsequitur Praeeminentia Vica-

rium Basilicarum, commendat. Et quidem, ut ex more speciatim loquar de Vicario Vaticanae; quanta hic polleat praeeminentia ex eo vel maxime colligitur, quod praesit (sicuti etiam aliarum Basilicarum Vicarii) Clero nobilissimo, ac numerosissimo, siquidem Viri ex primariis Familiis, doctrina caeterisque dotibus praecellentes Coetum hunc Clericalem constituunt. Numerus vero bene magnus in suas diversas partes distribuitur, nam Canonici sunt triginta, Beneficiati sex et triginta, Capellani Innocentiani quatuor ad instar Beneficiatorum, Clerici sex et viginti, Capellani, Cantores, Seminarii Alumni, et Camilli quamplures, ita ut Clerus iste solus amplior numero sit, quam olim tempore S. Cornelii Papae esset Clerus totius Vrbis, qui caeteroquin appellabatur numerosissimus. Accedit quamplures ex his esse dignitate sive Patriarchali, sive Archiepiscopali, sive Episcopali conspicuos. Quare magni profecto facienda est Praeeminentia illius, qui huiusmodi Clericali Coetui, cum potestate praesit; si enim eo maior censenda est Praefectura, quo numerosiores, ac praestantiores ii sunt, in quos ea demandatur, pronum est colligere praestantissimam hanc esse Vicarii Basilicarum, utpote quia Vicarius numerosissimi, ac nobilissimi Cleri Rector et Moderator est.

46. Praeeminentiam hanc plura, ut par est, comitantur debitae honorificentiae Argumenta. Qua in re praenotandum est cum Card. de Luca de Praeem. disc. 41. Patriarchales Basilicas Vrbis esse Romani Pontificis Cathedrales, in iis Praelatum, atque Episcopum esse Romanum Pontificem, Cardinalem vero Archipresbyterum esse primum Canonicum, seu primam Dignitatem, cuius vices ac personam gerit Vicarius. Hoc praenotato. Prima Dignitas seu Cardinalis Archipresbyter praecedit omnes Canonicos etc. et primum occupat locum in Choro etc. Huic succedunt in habitu Praelatitio Archiepiscopi, et Episcopi qui sint Canonici. Hos subsequuntur habitu Canonicali ceteri Canonici etiam Praelati; cum autem Vicarius locum Archipresbyteri teneat, eius personam repraesentet, eique in iurisdictione associetur, etiam ipse praecedit omnes Canonicos (intellige quoad sessionem in Choro, et similia, puta, quoad incessum in Processionibus etc.) uti eorum Superior ac Praeses, immo idipsum habet praesente Archipresbytero, quia constituit unum Caput moraliter cum Archipresbytero, et ut aiebat Pignattellus consult. 64. apud Leurenium de Vicario Episcopi: *est Superior etiam in praesentia Episcopi, licet non exerceat iurisdictionem, est electus ad iurisdictionem exer-*

cendam, habet gradum, titulum, atque ideo praecedentiam respectu caeterorum. Iam vero.

47. Quaeres 1. An Vicarius omnes prorsus praerogativas, atque honorificentias recipere debeat, quas recipit Arcipresbyter? ℟. Cum Sbroz. l. 1. q. 24. *de Vicario*, negative, nam ut optime aiebat Franc. in Cap. *non putamus de consuet. in* 6. *Si conceditur aliquid Principi ratione suae Dignitatis, illud non extenditur ad eius Vicarium:* Vnde licet Vicarius repraesentet personam Archipresbyteri et auctoritatem, non tamen hinc sequitur, quod in omnibus sit honorandus sicut Archipresbyter, cum adhuc fons scaturiens sit maior, quam rivulus inde proveniens.

48. Quaeres 2. An Vicarius possit exercere omnes illas functiones solemniores sive Pontificales, sive mere Sacerdotales, si fuerit in ordine Episcopali, aut Sacerdotali respective, quas de iure potest, aut debet exercere Archipresbyter? ℟. Videbitur fortasse alicui respondendum esse *negative* ex paritate Vicarii Generalis Episcopi, qui non potest absente Episcopo, vel impedito exercere functiones Episcopales, sed hoc spectat ad primam Dignitatem, et alios successive de Capitulo; prout saepius definitum fuit a Sacra Rituum Congregatione, ac praesertim in Brundusina 5 Februarii 1614, et in Alatrin. 22 Ianuarii 1618.

apud Pacem Iordanum; nihilominus respondendum est *Affirmative*. Nam Vicarius Basilicarum substitutus est in locum primae Dignitatis seu Archipresbyteri tanquam *temporalis coadiutor* ipsius in iis quae pertinent ad Cultum divinum, Praesidentiam Chori, et functiones Ecclesiasticas, ut colligitur ex cit. Constitut. Alexandri VII *Pastoralis Officii etc.* Certum autem est apud Canonistas ex Leuren. de Coadiut. q. 397. *Coadiutori Dignitatum competere functiones coadiuti*, quia ille sicut sedet in stallo Dignitatis, ita debet facere functiones spectantes ad Dignitatem coadiutam. Cum igitur Vicarius Basilicarum sit Archipresbyteri seu Primae Dignitatis *temporalis coadiutor, et sedeat* in ipsius stallo, pertinent ad ipsum Functiones solemniores spectantes ad Archipresbyterum, unde ad Vicarium pertinet Missam Conventualem, aut Pontificalem celebrare, aut Sanctissimum Sacramentum, aut sacras Reliquias paratum deferre etc.

Neque obstat paritas Vicarii Generalis Episcopi in contrarium allata; nam disparitas optime traditur ex allegatis a Card. de Luca de Praeem. disc. 41, etenim Functiones istae solemniores si non fiant ab Episcopo pertinent privative ad Capitulum, et sunt exercendae ab eo qui principatum habet in Capitulo *ratione qualitatis Capitularis*, non autem ob aliam

extrinsecam, et accidentalem qualitatem. Cum itaque Vicarius Generalis non habeat Primatum in Capitulo ratione *Qualitatis Capitularis*, propterea ad ipsum non spectant tales Functiones pro casu quo ab Episcopo non fiant. Similiter eaedem Solemniores Functiones in Basilicis quando non fiant a Papa qui est earum Episcopus, privative pertinent ad Capitulum exercendae per Archipresbyterum qui est primus ratione *Qualitatis Capitularis*, et consequenter eo absente ad suum coadiutorem in Choro, nempe ad suum Vicarium. Vnde Vicarius Generalis Episcopi has functiones in defectu Episcopi exercere non potest tum quia non est Episcopus metipse, tum quia non est Coadiutor primi de Capitulo. At in Basilicis Vicarius, quamvis non sit Episcopus metipse, nempe Rom. Pontifex, est tamen temporalis Coadiutor primi de Capitulo, nempe Archipresbyteri, atque idcirco ad ipsum spectant solemniores Functiones.

49. Quaeres 3. An Vicarius Basilicarum ex vi talis Vicariatus censendus sit in Dignitate Ecclesiastica constitutus? ℟. Dignitas Ecclesiastica est in duplici differentia. Altera proprie talis, ac per se stans. Altera improprie talis, ac iure alieno. Utraque consistit *in Præeminentia cum iurisdictione coniuncta, et ex eadem proveniente*. Iam vero Vicarius Basilicarum

habet dignitatem Ecclesiasticam huius secundi generis, siquidem habet Praeeminentiam seu praerogativam ortam ex iurisdictione Archipresbyteri quem ipse repraesentat, cuius auctoritatem exercet, et a cuius nutu dependet, unde non habet dignitatem per se stantem ac *iure proprio* sibi competentem, sed temporalem ac sibi competentem iure alieno.

50. Quaeres 4. An vi huius Vicariatus possit Vicarius expedire commissiones Apostolicas directas *constituto in Dignitate Ecclesiastica?* ℟. Affirmative quia sicuti Vicarius Generalis Episcopi, quamvis in eo sit Dignitas competens iure alieno, nec per se stans, adhuc tamen in eo est Dignitas sufficiens ad talem effectum exequendi commissiones Apostolicas, ita similiter dicendum de Vicario Basilicae praesertim Vaticanae, in quo est vere Dignitas seu Praeeminentia cum iurisdictione *etiam in spiritualibus,* unde quamvis haec Dignitas non per se stet, et iure proprio, sed iure alieno, adhuc tamen est sufficiens ad praedictum effectum.

51. Quaeres 5. An Dignitas Vicariatus Basilicae sit compatibilis cum alia dignitate ? ℟. Ex Constitutione Alexandri VII *Pastoralis Officii etc.*, non esse actu compatibilem cum Canonicatu eiusdem aut alterius Basilicae, vel Ecclesiae, nec cum alia quacumque Dignitate habente onus Residendi, etenim sic expresse

ibi cautum est per haec verba: *Vicarios deputent Prælatos graves, et probos , qui non sint Canonici ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, nec ad aliquam Residentiam obligati.* Caeterum Vicariatus huiusmodi compatibilis est cum Episcopatu, Archiepiscopatu, imo et Patriarchatu Titulari, non autem cum Cardinalatu, tum quia ex cit. Const. Vicarius debet esse *Prælatus* iuxta consuetam Curiae Rom. significationem, tum quia Cardinales non solent alteri Cardinali subesse ac deservire. Advertas tamen Vicariatum esse incompatibilem cum alia Dignitate vel Canonicatu residentiali, non eo sensu ut plene obtenta ea alia dignitate *ipso iure* ille amittatur, sed eo sensu, ut simul cum ea alia retineri non possit.

52. Quaeres 6. An Vicario paranda sit in Choro Sedes cum tapetis, et pulvinari? R). Praxim esse ut ita fiat absente Archipresbytero, unde licet id non competat Vicario Generali Episcopi iuxta decisionem Sac. Cong. in Meritonens. apud Lauren. q. 61, competit tamen Vicario Basilicarum.

§. VI.

De honorario stipendio Vicarii Basilicarum.

53. CUm aequum nequaquam sit, ut quis militet suis stipendiis, propterea Alexander VII in sua citata Constitutione *Pastoralis Officii etc.* decrevit Vicario Basilicarum suum dandum esse stipendium, quod licet non taxaverit, noluit tamen illud esse infra medietatem unius Canonicatus. En verba: *Congruo per Archipresbyteros prædictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidia portione Archipresbyterali per Camerarios, et depositarios Capituli singulis mensibus, statutisque temporibus prædictis Vicariis integre, et sine diminutione solvendo.* Hinc.

54. Quaeres primo. An Vicarius Vaticanae, utpote qui habet iurisdictionem spiritualem, possit licite ac sine simonia recipere tale stipendium? R). Videbitur fortasse *quod non,* quia in *Cap. Præterea, et Cap. quoniam. Ne Prælati vices suas etc.* prohibitum est vendere, vel locare iurisdictionem Ecclesiasticam, in casu autem Archipresbyter locaret quodammodo iurisdictionem suam Ecclesiasticam, consequenter etc. Nihilominus dicendum quod *sic.* Nam licet commissio Officii iurisdictio-

nem complectentis, aut eius respectiva acceptio pro pecunia sit illicita, attamen datio, et receptio pecuniae, Officio iam commisso, loco salarii, non est illicita. Ex Cap. *Charitatem, et* Cap. *quicumque* 12 *q.* 2. Locat siquidem Vicarius operas suas Archipresbytero, et accipit mercedem laboris sui.

55. Quaeres 2. An diminuendum sit salarium, et punctari debeat Vicarius, si aliquando ipse Choro non intersit? ℟. Negative, sed tunc punctari debet Archipresbyter. Ratio primae partis est, quia Alexander VII vult *integre, et sine diminutione* dari assignatum stipendium Vicario. Neque obstat quod datum ob causam riteneri non possit causa non subsecuta; nam stipendium medietatis Canonicatus assignatum Vicario, non datur principaliter ob interessentiam Choro, sed in sustentationem illius, qui in Vicarium est constitutus. Ratio secundae partis est; quia Vicariatus Basilicarum est quaedam species coadiutoriae temporalis, sicuti igitur Coadiutoria hoc habet ut distributiones, quas Coadiutor acquirit absente coadiuto cedant in utilitatem coadiuti, quas vero ipse amittit non interessendo, cedant in damnum ipsius Coadiuti; ita similiter res procedit in tali Vicariatu.

56. Quaeres 3. An Vicarius mortuo Archipresbytero consequi debeat stipendium pro

toto tempore, quo vixit Archipresbyter B). Affirmative; nam iuxta Alexandri VII Constitutionem per Camerarios et Depositarios Capituli solvendum Vicario est singulis mensibus suum stipendium, quamdiu vixerit Archipresbyter cuius ipse est Vicarius, ergo si non fuerit solutum, Archipresbytero mortuo, adhuc est illi a Capitulo solvendum, siquidem acquisivit ius ad illud. Neque obstat quod fructus civiles quorum ante obitum Beneficiati adhuc non venerat dies solutionis, uti pendentes spectent ad successorem, et non ad eius haeredes, unde similiter non spectent ad Vicarium fructus civiles sui servitii, quorum ante obitum Archipresbyteri adhuc non venerat dies solutionis; non obstat id, inquam, nam fructus Vicarii dietim debentur tanquam merces operae diurnae, quamvis ratione commodioris exactionis destinati sint ad certum tempus, puta, ad finem mensis, et per consequens ad ipsum spectant usque ad diem obitus Archipresbyteri, cui ipse Vicariatum praestitit.

§. VII.

De expiratione talis Vicariatus.

57. VIcarii Basilicarum Officium ac Potestas multipliciter potest expirare ac desine-

re. Nam primo, expirat ac desinit per mortem naturalem ipsius Vicarii, mors enim omnia solvit. Deinde per renunciationem, vel expressam, vel tacitam factam ab ipso Vicario; unde si ipse Roma abiret non rediturus, intelligeretur tacite renunciasse. Tertio per promotionem eiusdem ad Episcopatum residentialem, vel per susceptionem Canonicatus eiusdem aut alterius Ecclesiae, vel per promotionem ad Cardinalatum; nam ut diximus, Alexander VII non vult eiusmodi Vicarium esse Canonicum, aut obtinere aliud Beneficium residentiale; Cardinales vero non solent alterius Cardinalis esse Officiales. Postremo per mortem naturalem ipsius Archipresbyteri, nisi fuerit Vicarius per Breve seu litteras Apostolicas constitutus, tunc enim attendendae essent eiusmodi Apostolicae litterae quoad terminum Vicariatus. Non memini de expiratione per *Revocationem* factam ab Archipresbytero, nam quamvis hoc etiam modo possit espirare Vicariatus, et possit Archipresbyter, quando non intercesserit Breve Pontificium, loco movere suum Vicarium, hoc tamen non solet fieri; nec Praelato gravi, ac probo qualis esse debet, atque esse praesumitur Vicarius eiusmodi, haec inurenda est nota. His praemissis.

58. Quaeres 1. An mortuo Archipresbytero expiret ipso iure Vicarius ab eo constitutus,

vel opus sit aliqua declaratione Capituli? ℟. Expirare ipso facto, seu iure, nec opus esse alia declaratione. Ita Pax Iordan. in simili, et Felin. in Cap. ex parte, de Rescript. Et quidem ita expirat pro eo casu, ut nequeat perficere causas aut negotia, quae vivente Archipresbytero, ipse incaeperat. Ex Azor. p. 2, l. 3, c. 45, q. 14, aliisque communiter.

59. Quaeres 2. An Vicarius si esset per Breve Apostolicum constitutus his verbis: *durante vita præsentis Archipresbyteri ad nostrum beneplacitum*, cessaret ab Officio per mortem Archipresbyteri, vel adhuc in eo perseveraret? ℟. Non carere probabilitate quod ex illis verbis prorogaretur Vicariatus ultra vitam Archipresbyteri, quia videtur talis esse sensus: *Constituimus te Vicarium durante vita Archipresbyteri, et ulterius ad nostrum beneplacitum.* Ceterum probabilius censo quod non prorogetur ultra vitam Archipresbyteri, quia illa verba *ad nostrum beneplacitum* non videntur extensiva Vicariatus ultra vitam Archipresbyteri, sed potius restrictiva, et facere hunc sensum: *ad beneplacitum nostrum constituimus te Vicarium durante vita Archipresbyteri,* idest *volumus esse Vicariatum tuum dependentem toto eo tempore a voluntate nostra.* Ita Castropal. de Privileg. punct. 16 §. 5, aliique: unde si Vicarius esset per Breve

Pontificium constitutus praefatis verbis, cessaret ab Officio, secuta morte Archipresbyteri.

60. Quaeres 3. An si Vicarius promoveretur ad Episcopatum residentialem, *statim* cessaret eius Officium, vel contra posset ipse factus Episcopus retinere Vicariatum dum se praeparat et expectat commodam opportunitatem transferendi se ad suam Ecclesiam? ℟. *Non statim cessare*: nam nullo prorsus iure id cavetur, ut supra innuebam, neque obstat Constitutio citata Alexandri VII, nam per eam Pontifex solum interdicit simultaneitatem Vicariatus, et Episcopatus residentialis, quatenus residentia Vicariatus impediret residentiam Episcopatus, et viceversa. Cum autem in casu non haberetur tale inconveniens, cessaret finis extrinsecus propter quem solum lata est lex, et consequenter non cessaret statim Vicariatus, sed eo tempore, quo Vicarius Romae se praeparat ad suam Ecclesiam Episcopalem, posset Vicariatum retinere.

Haec scribebam ad maiorem Dei Gloriam, et ut nobilissimo Principi, eidemque Praelato spectatissimo Aloisio Mattei Romano obsequerer, eique maxima quaeque apprecarer.

§. VIII.

Constitutio Alexandri VII P. M. quoad electionem, jura, ac onera Vicariorum Basilicarum Patriarchalium Vrbis.

ALEXANDER PP. VII

Ad futuram rei memoriam

PAstoralis officii Nobis a Domino commissi ratio postulat, ut in his, quae ad promovendum in quibuscumque Ecclesiis, et praesertim huius Almae Vrbis nostrae primariis, divinum cultum pertinent, auctoritatis nostrae partes peculiari solicitudine interponamus. Quoniam igitur natura comparatum est, ut minores maiorum exempla sequantur, ac proinde speremus in Domino fore, ut Chori servitio in Patriarchalibus Sancti Ioannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Maioris nuncupatae eiusdem Vrbis Ecclesiis, sive Basilicis adstricti ferventius divinis intersint, si primas dignitates in Ecclesiis, seu Basilicis huiusmodi obtinentes ceteris praesentia sua praeluserint: Idcirco de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac

dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum Congregationis super negotiis Visitationis Apostolicae a Nobis institutae consilio, dilectis filiis nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus trium Ecclesiarum, sive Basilicarum praedictarum Archipresbyteris, nunc et pro tempore existentibus, Apostolica auctoritate tenore praesentium serio iniungimus, ut ipsi in Ecclesiis, sive Basilicis huiusmodi, in quibus Archipresbyteri dignitatem respective obtinent, et pro tempore obtinebunt, divinis Officiis interesse studeant, et Vicarios deputent Praelatos graves et probos, qui non sint Canonici eiusdem aut alterius Ecclesiae, nec ad aliquam residentiam obligati, ac tali doctrina, et pietate praeditos, ut Ecclesiae iura tueri, et causas, ac iudicia per seipsos cognoscere et terminare valeant, singulisque Capitulis, et Congregationibus Capitularibus intersint, congruo per Archipresbyteros praedictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidia portione Archipresbyterali per Camerarios, et Depositarium Capituli singulis mensibus, statutisque temporibus praedictis Vicariis integre et sine diminutione solvendo: onere tamen iniuncto, ut divinis Officiis diebus festis de praecepto, et aliis earumdem Basilicarum respective solemnioribus interesse ac munus Praefecti in Choro exercere omnino teneantur. Quod si praedi-

ctis diebus Officio divino non interfuerint, punctetur portio eisdem Vicariis, ut supra, assignata, in duplum eius, quo mulctaretur quilibet Canonicus, et multa interessentibus eo ipso accrescat. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti Cardinales Archipresbyteri, et alii quilibet etiam speciali nota, et expressione digni in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quoquo modo praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae etc. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam etc. Non obstantibus etc. Volumus autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 9 Aprilis MDCLVII, Pontificatus Nostri anno secundo.

VICARIORVM

SS. PATRIARCHALIS BASILICAE VATICANAE

SVCCESSIO

EX AVTHENTICIS MONVMENTIS

TABVLARII EIVSDEM BASILICAE

DEPROMPTA

PRAEFATIO

Cum huius operis DE VICARIIS BASILICARVM VRBIS nova pararetur editio; factum est, ut Vicariorum Basilicae Vaticanae successio, quae ad calcem legitur primae editionis, Romae typis cusae anno 1744, continuanda esse putaretur. Quod quidem mihi demandatum haud aegre suscepi, ratus paucis me posse expedire. Iamque manum admovebam operi, cum, ex iis quae in tabulario ipsius Basilicae esse sciebam, successionem ipsam non solum haud accuratam; verum etiam multis Vicariis, qui eam ad remotius quidem aevum, hoc est ad duo et amplius retro saecula protrahebant, mancam repererim. Tunc animadverti eamdem non modo ad dies nostros persequendam, sed totis viribus adlaborandum mihi esse,

ut nova prorsus et accuratior in lucem prodiret successio Vicariorum. Ad id sane incitabat Basilicae Vaticanae tabularium, eorum omnium quae eam respiciunt, promptuarium refertissimum. Successionis igitur Vicariorum Basilicae Vaticanae initium feci ab anno 1277, et ad haec usque tempora perduxi: in ea vero texenda nihil, quantum in me erat, omisi, ut opus minus imperfectum incomptumque procederet; nihil protuli, quod ex authenticis tabularii eiusdem Basilicae monumentis minime deprompserim.

Henricus Debellini

Beneficiarius et Subarchivista

SVCCESSIO VICARIORVM

SS. PATRIARCH. BASILICAE VATICANAE

ANGELVS VEZZOSI, Romanus, Basilicae Vaticanae Canonicus, sub die 17 Novembris 1277 reperitur Vicarius Iohannis Cardinalis Orsini eiusdem Basilicae Archipresbyteri, qui paucos post dies ad summum pontificatum evectus Nicolaus III appellatus fuit. Vicarius hoc vetustior hucusque minime inventus est.

Magister ALBERTVS dicitur Vicarius Matthaei Cardinalis Orsini Archipresbyteri Basilicae Vaticanae in instrumento consensus praestiti a Canonicis eiusdem Basilicae die 14 Decembris 1286 pro erectione hospitalis et aedis sanctae Crucis in terra Nursiae sub iurisdictione praefatae Basilicae.

PETRVS DE GVALENGIS, Prior Canonicorum Basilicae Vaticanae, in decreto capitulari edito die 13 Iunii 1299 ad controversias Fratrum Ordinis Praedicatorum, Minorum, et Heremitarum inter se disserentium dirimendas, cuinam primus locus adsignandus in concionibus habendis in eadem Basilica, se nuncupat Vicarium Matthaei Cardinalis Orsini Archipresbyteri.

Fr. ISNARDVS, Archiepiscopus Thebarum, in diplomate dat. die 1 Octobris 1310, quo Monialibus sanctae Catharinae de Vrbe facultatem facit posse sibi intra monasterii claustra eligere locum, ibique coemeterium construere, se dicit *Papae Clementis V in*

spiritualibus in Vrbe Vicarium Generalem, nec non Neapoleonis Orsini sancti Hadriani Diaconi Cardinalis, Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe Archipresbyteri, Vicarium.

PAVLVS CONTI, Romanus, Praepositus Ecclesiae Nivellensis, tunc Leodiensis, nunc Namurcensis Dioecesis, Basilicae Vaticanae Canonicus, enuntiatur Vicarius Neapoleonis Cardinalis Orsini Archipresbyteri a die 27 Martii 1327 ad diem 23 Augusti 1329. Huic, sicut et ceteris sui aevi Canonicis, summus pontifex Iohannes XXI, dictus XXII, datis ad eorum singulos literis gratulatur quod Ludovici de Bavaria fidei Catholicae hostis acerrimi communionem devitaverit; ac interdictum, cui Vrbs supposita fuerat, observandum studuerit.

ANGELVS DE TARTARIS, Romanus, Canonicus Vaticanus, erat Vicarius sub die 3 Aprilis 1359.

LAVRENTIVS SANGVIGNI, Romanus, Canonicus Vaticanus, erat Vicarius Generalis Guillelmi Cardinalis del Giudice Archipresbyteri sub die 14 Aprilis 1364.

IOHANNES SANGVIGNI, Romanus, Canonicus Vaticanus, enuntiatur Vicarius Christophori Cardinalis Maroni Archipresbyteri a mense Aprilis 1401 ad diem 10 Martii 1404.

IACOBVS DE TEDALLINIS, Canonicus et Altarista Basilicae Vaticanae, reperitur Vicarius eiusdem Basilicae a die 7 Augusti 1406 ad 1 Ianuarii 1408.

IACOBVS CALVI, Romanus, Canonicus Vaticanus, instituitur Vicarius ab Antonio Cardinali Calvi Archipresbytero die 3 Septembris 1408. Munus gessit usque ad diem 2 Octobris 1411, quo Cardinalis Archipresbyter vinculis carnis exutus migravit ad Dominum.

MATHIAS DE GRATTVLIS, Basilicae Vaticanae Canonicus, qui interdum praedicti Iacobi Calvi vices gesserat, fuit Vicarius Petri Cardinalis Friaz Archipresbyteri. Aquilae in Vestinis cessit e vita die 10 Februarii 1414; ibique honorifice sepultus est.

MATHIAS DE TOSTIS, Romanus, Canonicus Vaticanus, reperitur Vicarius Petri Cardinalis Friaz Archipresbyteri sub die 27 Martii 1419.

IACOBVS CALVI, de quo superius, reperitur Vicarius Antonii Cardinalis Corraro Archipresbyteri a die 3 Iulii 1422 ad diem 18 Septembris 1427, quo mortuus est.

DOMINICVS De Orbitello, Decretorum Doctor, reperitur Vicarius Antonii Cardinalis Corraro Archipresbyteri sub die 10 Novembris 1427. Die autem 19 Aprilis 1428 promotus fuit ad Episcopatum Marianensem.

ANGELVS, Abbas sancti Apollonii de Canossa Ordinis sancti Benedicti Regiensis Dioecesis, erat Vicarius Iuliani Cardinalis Cesarini Archipresbyteri sub die 14 Maii 1441.

GEORGIVS CESARINI, Romanus, Protonotarius Apostolicus, et Vaticanae Basilicae Canonicus, reperitur Vicarius Cardinalium Archipresbyterorum Iuliani Cesarini et Petri Barbo, qui postea ad summum pontificatum evectus Paulus II vocari voluit, a die 16 Iulii 1441 ad diem 14 Decembris 1453, Ludovico Magliani, Genuense, Canonico Vaticano, de quo inferius, interdum Georgii vices gerente.

B. ANTONIVS FATATI, Anconitanus, Archipresbyter Ecclesiae Anconitanae, Decretorum Doctor, ac Nicolai Papae V Familiaris, literis apostolicis dat. die 4 Iunii 1447 ab eodem Pontifice eligitur Vaticanae Basi-

licae in spiritualibus et temporalibus Vicarius Apostolicus cum amplissima in personas, res, ac bona iurisdictione. Die autem 2 Septembris praefati anni Canonicus Vaticanus a laudato Pontifice creatur. Vtrumque et Vicarii et Canonici munus eum una sibi sociasse extat memoria usque ad diem 11 Iunii 1448. Die 6 Novembris 1450, Episcopus Aprutinus renuntiatus est. Die vero 20 Septembris 1463 translatus fuit ad Ecclesiam Anconitanam. Denique episcopali munere, aliisque rebus gestis illustris, eximia autem vitae sanctimonia illustrior, aetate gravis, et laboribus fractus, die 9 Ianuarii 1484 Anconae sancto fine quievit. Corpus in Cathedrali sepultum est, ubi etiamnum incorruptum honorifice servatur et colitur. Miraculorum fama, pretiosam eius mortem subsecuta, adeo longe lateque diffusa est, ut extunc Dei Servus Beati titulo conclamari coeperit, et secutis inde temporibus ut talis habitus sit. His permotus Pius VI pontifex maximus ex sacrorum Rituum Congregationis consilio die 29 Augusti 1795, et decreto die 2 Septembris eiusdem anni confirmato, ad augendum cultum ei ab immemorabili praestitum, benigne indulsit, ut Capitulum Vaticanum, novo decore auctum et ornamento, festum beati Antonii, qui Basilicam suam ut Vicarius sancte rexit, ut Canonicus praesentia condecoravit, quotannis die quarta Iunii, qua primum eidem Basilicae nomen dedit, cum officio proprio et missa sub ritu duplici minori celebrare valeat. Quod prima vice anno 1796 solemniori quidem cultu peractum est.

LVDOVICVS MAGLIANI, Genuensis, Decretorum Doctor, Canonicus Vaticanus, Vicarii Apostolici munus in Ba-

silica Vaticana obibat, sedente Nicolao Papa V, sub die 27 Februarii 1450.

CONRADVS BELLARMINO, Politianus, Decretorum Doctor, reperitur Vicarius Apostolicus sub die 18 Iunii 1451, prout patet ex bulla Nicolai Papae V, qua Castri Nonciliani venditionem fieri permittit Capitulo Basilicae Vaticanae, Abbati Ecclesiae sancti Pauli extra muros, ac Priori Ecclesiae Lateranensis, quibus idem Castrum a Semidea de Vrsinis anno 1421 supremis tabulis legatum fuerat, post mortem Comitissae Anguillariae aequis partibus dividendum.

IOHANNES MILLINI, Romanus, Abbreviator Parci Maioris, Canonicus et Altarista Basilicae Vaticanae, erat Vicarius Apostolicus, Nicolao V summo pontifice, sub die 14 Decembris 1453. Fuit dein ad Cardinalatus dignitatem evectus.

FRANCISCVS DE THOMAEIS, Aquilanus, Canonicus Vaticanus, Decretorum Doctor ac Pii II P. M. Capellanus, literis apostolicis eiusdem pontificis dat. die 7 Octobris 1458 confirmatur ad beneplacitum Sedis Apostolicae in Vicariatu, ad quem a Petro Cardinali Barbo Archipresbytero fuerat assumptus, cum amplissimis facultatibus in spiritualibus et temporalibus. De eius Vicariatu fit mentio usque ad diem 4 Martii 1464.

GEORGIVS CESARINI, Romanus, Vaticanae Basilicae Canonicus, de quo superius, memoratur Vicarius Richardi Oliverii Cardinalis de Longueil, Constantiensis nuncupati, Archipresbyteri a die 14 Decembris 1464 ad diem 8 Iulii 1465.

VRBANVS VIGNATI, Venetus, Episcopus Sebenicensis, literis apostolicis Papae Pauli II dat. 12 Martii 1468,

instituitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae ad Sedis Apostolicae beneplacitum cum amplissima potestate spirituali et temporali in res et personas ipsius Basilicae. Reperitur Vicarius usque ad diem 6 Octobris eiusdem anni.

NICOLAVS, Episcopus Faventinus, erat Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae sub die 18 Maii 1470.

DOMINICVS CALVELLI, Canonicus Vaticanus, reperitur Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri a die 15 Ianuarii 1473 ad 23 Octobris 1474.

ARDICINVS DELLA PORTA iunior, Novariensis, Papae Referendarius, electus Episcopus Aleriensis, enuntiatur Vicarius Apostolicus a die 23 Octobris 1474 ad 2 Iulii 1475. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

GEORGIVS DELLA ROVERE, Savonensis, Episcopus Vrbevetanus, reperitur Vicarius Apostolicus a die 12 Octobris 1477 ad diem 11 Maii 1482. Fabianus Benci Politianus, Rev. Camerae Apostolicae Clericus, et Andreas de Spiritibus Viterbiensis, Canonici Vaticani, interdum Georgii vices gesserunt.

HIERONYMVS SANTVCCI, Vrbinas, Episcopus Forosemproniensis, invenitur Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri a die 20 Aprilis 1483 ad diem 13 Iunii eiusdem anni.

BAPTISTA CANONICI, Bononiensis, Monachus Ordinis sancti Benedicti Congregationis Casinensis, Episcopus Faventinus, reperitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae a die 24 Iulii 1483 ad 9 Maii 1484.

IOHANNES DELLA SEGA, Venetus, Protonotarius Apostolicus, dicitur ab Innocentio Papa VIII in literis apostolicis dat. die 15 Ianuarii 1486 *Venerabilis fra-*

tris nostri Baptistae (Zeno) *Episcopi Tusculani, qui Archipresbyteratum Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe ex concessione et dispensatione apostolica obtinet in eadem Basilica, Vicarius.*

LEONELLVS CHEREGATI, Vicentinus, Episcopus Traguriensis, Innocentio VIII summo pontifice, erat Vicarius Apostolicus in Basilica Vaticana sub die 22 Iulii 1487. Translatus dein fuit ad Episcopatum Concordiensem.

NICOLAVS FIESCHI, Genuensis, Episcopus Foroiuliensis, ab Innocentio Papa VIII, literis datis die 7 Iunii 1488, constituitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae cum pleniori in spiritualibus et temporalibus negociis iurisdictione. Die vero 12 sequentis Iulii iterum ad id muneris assumitur aliis literis prolixioribus ab eodem Pontifice, qui nedum generatim sed singillatim quae a Vicario Apostolico gerenda sunt, declarat. Dicitur Vicarius usque ad diem 11 Ianuarii 1490. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

PETRVS PAVLVS CAPOBIANCO, Beneventanus, Episcopus sanctae Agathae Gothorum, reperitur Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri a die 1 Aprilis 1490 ad 6 Iunii 1491.

ANTONIVS, e sancto Miniato in Tuscia, Episcopus Balneoregiensis, erat Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri sub die 26 Martii 1492. Vicariatum moderatus est ad annum 1497, quo obiit supremum diem. Sepultus fuit in SS. Basilica Vaticana.

IOHANNES FONSALIDA, Hispanus, Episcopus Interamnas, reperitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae a die 15 Februarii 1495 ad 27 Maii 1498; ac

iterum post Ieremiam Contughi, de quo infra, a die 13 Octobris 1499 ad diem 3 Martii 1500.

IEREMIAS CONTVGHI, Volaterranus, Episcopus Assiensis, enuntiatur Vaticanae Basilicae Vicarius Apostolicus a die 2 Septembris 1498 ad diem 7 Octobris 1499.

IOHANNES BAPTISTA CRISPOLTI, Perusinus, Decretorum Doctor, erat Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri sub die 6 Decembris 1498.

ANTONIVS DE FABIIS seu DE FABIEGIS, Hispanus, Episcopus Venusinus, Almae Vrbis Vicarius Generalis, constituitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae die 8 Martii 1500. De Vicariatu eius fit mentio usque ad diem 18 Aprilis 1501.

BERTRANDVS COSTABILI, Ferrariensis, Protonotarius Apostolicus, reperitur Vicarius Baptistae Cardinalis Zeno Archipresbyteri a die 12 Octobris 1500 ad 24 Aprilis 1501, qua Cardinalis Archipresbyter migravit e vita.

PETRVS SOZZI, Romanus, nuncupatus de Vicentia, Episcopus Caesenas, et Causarum Camerae Apostolicae Auditor, antea Vicarius SS. Liberianae Basilicae, die 13 Iunii 1501 a Iohanne Cardinali Lopez Archipresbytero renuntiatur suus in Basilica Vaticana Vicarius. Archipresbytero autem die 6 sequentis Augusti demortuo, confestim ab Alexandro Papa VI constituitur eiusdem Basilicae Vicarius Apostolicus; eoque in munere memoratur ad diem 19 Februarii 1503.

FELTRINVS MANFREDI, Faventinus, dicitur Vicarius Hippolyti Cardinalis d'Este Archipresbyteri a die 24 Aprilis 1502 ad diem 6 Novembris eiusdem anni.

FABRITIVS VARANI, Civis et Episcopus Camers, die 5 Februarii 1503 instituitur Vicarius Hippolyti Cardinalis d'Este Archipresbyteri. Fit mentio Vicariatus eius usque ad diem 9 sequentis Iulii.

BERTRANDVS COSTABILI, Ferrariensis, Protonotarius Apostolicus, de quo superius, die 14 Ianuarii 1504 per literas patentes Hippolyti Cardinalis d'Este Archipresbyteri constitutus fuit Vicarius. Vicariatui sociavit Basilicae Vaticanae Canonicatum, cuius possessionem iniit die 1 Aprilis 1507: die vero 27 Augusti huius anni renuntiatus fuit Episcopus Adriensis. De Vicariatu eius habetur mentio usque ad diem 21 Aprilis 1510.

ALEXANDER DE VASCO, Civis et Episcopus Alexandrinus, reperitur Vicarius Apostolicus Basilicae Vaticanae a die 16 Iulii 1511 ad 19 Iulii 1514. Eo vero absente ob quamdam sibi ab Apostolica Sede commissam legationem Vicarii vices gesserunt Dominicus Iacovacci Canonicus Vaticanus, Iohannes e Prato in Tuscia, Ordinis Minorum, Episcopus Aquilanus, postea Archiepiscopus Thebarum, et Andreas della Valle, de quo infra.

ANDREAS DELLA VALLE, Romanus, Episcopus Militensis, Canonicus Vaticanus, die 7 Novembris 1514 per literas in forma Brevis Leonis X P. M. Vicarius Apostolicus constituitur in Basilica Vaticana. Ad Cardinalatus dignitatem fuit assumptus calendis Iulii 1517.

MARIVS MAFFEI, Volaterranus, electus Episcopus Aquinas, Canonicus et Altarista Basilicae Vaticanae, a Leone X P. M. per literas in forma Brevis dat. 5 Septembris 1517 sufficitur in Vicariatu Apostolico Andreae

della Valle ad Cardinalatum evecto cum facultate eligendi in sua absentia idoneum Substitutum. Die vero 9 Septembris 1524 renuntiatus fuit Episcopus Cavallicensis. De Vicariatu eius fit mentio usque ad diem 9 Septembris 1526. Vices eius interdum gesserunt Camillus Porcari Episcopus Aprutinus, et Andreas Iacovacci Episcopus Lucerinùs, uterque Canonicus Vaticanus.

CAROLVS ARIOSTO, Ferrariensis, Ludovici poetae clarissimi frater natu minor, Vaticanae Basilicae Canonicus, fit Vicarius Franciotti Cardinalis Orsini Archipresbyteri die 20 Septembris 1526: munus rexit usque ad Maium 1532. Die 28 Ianuarii 1527 renuntiatus fuit Episcopus Acerranus; et postea Generalis Praeceptor totius Ordinis sancti Spiritus in Saxia.

IVLIVS CORVINI, Canonicus Vaticanus, mense Iunio 1532 fuit constitutus Vicarius a Franciotto Cardinali Orsini Archipresbytero. Vicariatum moderatus est usque ad diem 10 Ianuarii 1534, qua Cardinalis Archipresbyter cessit e vita.

ANDREAS CORNARO senior, Venetus, Archiepiscopus Spalatensis, die 19 Ianuarii 1534 a fratre suo Francisco Cardinali Cornaro Archipresbytero constituitur Vicarius. Munus administravit ad diem usque 26 Septembris 1543, qua Cardinalis Archipresbyter mortalitatem explevit.

ANDREAS CORNARO iunior, Venetus, electus Episcopus Brixiensis, die 1 Iunii 1540 a Francisco Cardinali Cornaro Archipresbytero, patruo suo, fuit constitutus Vicarius durante Archiepiscopi Spalatensis absentia. De Vicariatu eius fit mentio usque ad diem 15 Iunii 1541. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

FRANCISCVS SFONDRATI, Cremonensis, qui fuit pater Gregorii XIV P. M., Episcopus electus Sarnensis, die 21 Octobris 1543 ante missam solemnem admissus fuit Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Vicariatum gessit usque ad diem 27 Octobris 1544, qua Archiepiscopus Amalphitanus renuntiatus est. Die tandem 19 Decembris eiusdem anni Cardinalium Senatui fuit adscriptus.

FABIVS MIGNANELLI, Senensis, Episcopus Lucerinus, instituitur Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri die 31 Octobris 1544. Vicariatus eius memoratur usque ad diem 19 Martii 1546. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

ALEXANDER CAMPEGGI, Civis et Episcopus Bononiensis, receptus fuit in Vicarium Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri die 4 Aprilis 1546. De Vicariatu eius habetur mentio usque ad diem 7 Maii 1547. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

IOHANNES ALBERINI, Canonicus Vaticanus, qui absente Episcopo Lucerino, de quo superius, per quadrimestre spatium Vicariatum administraverat, enuntiatur Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri a die 23 Iunii 1547 ad Iulium 1549.

IOHANNES MICHAEL SARACENO, Neapolitanus, Archiepiscopus Acheruntinus et Materanus, reperitur Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri a die 13 Augusti 1549 ad 4 Iunii 1550. Hoc anno exeunte fit Almae Vrbis Gubernator et sequenti S. R. E. Cardinalis.

PROSPER SANTACROCE, Romanus, electus Episcopus Kissanensis, die 23 Septembris 1550 fuit constitutus

Vicarius per literas patentes Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Vicariatum administravit ad totum Iunium 1552, quo Nuntius Apostolicus in Gallias fuit designatus. In Cardinalium collegium dein cooptatus fuit.

ANTONIVS TRIVLZI, Mediolanensis, Episcopus Tolonensis, instituitur Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri die 6 Iulii 1552. Eo in munere memoratur usque ad Maium 1556, quo Venetias missus est Nuntius Apostolicus. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

FRANCISCVS BANDINI PICCOLOMINI, Civis et Archiepiscopus Senensis, die 1 Iunii 1556 constitutus fuit Vicarius ab Alexandro Cardinali Farnese Archipresbytero. De Vicariatu eius fit mentio ad diem 3 Octobris eiusdem anni.

FRIDERICVS FANTVZZI, Bononiensis, sacrae Romanae Rotae Auditor, ab Alexandro Cardinali Farnese Archipresbytero Vicarius constituitur die 24 Octobris 1556. Die vero 5 Iulii 1557 a Paulo IV P. M. renuntiatus fuit Episcopus Cariatensis. Memoratur Vicarius usque ad diem 29 Iulii 1559.

BALDVS FERRATINI, Civis et Episcopus Amerinus, Canonicus Vaticanus, qui per literas patentes Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri unum ferme annum Vicarii munus gesserat loco praefati Friderici absentis, curandis extra Vrbem Romanae Ecclesiae negotiis, fuit Vicarius eiusdem Archipresbyteri a Septembri 1559 ad diem 30 Decembris 1566, quo Almae Vrbis Gubernator renuntiatus est.

PETRVS GVICCIARDINI, Florentinus, sacrae Romanae Rotae Auditor, ab Alexandro Cardinali Farnese Archi-

presbytero instituitur Vicarius die 18 Ianuarii 1567. Diem supremum clausit eodem anno sub die 2 Augusti.

ANTHIMVS MARCHESANI, Tiphernas, iuris utriusque Doctor et in utraque Signatura Referendarius, die 11 Augusti 1567 electus fuit Vicarius per literas patentes Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Factus Canonicus Vaticanus, ac literis apostolicis Canonicatus sibi collati die 29 Septembris 1568 expeditis, Vicariatum dimisit. Fuit postea Episcopus Tiphernas.

ANTONIVS ELIO, Iustinopolitanus, Patriarcha Ierosolymorum, die 1 Octobris 1568 electus fuit Vicarius per literas patentes Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Fuit Vicarius ad diem usque 13 Octobris 1572. Fuit dein Episcopus Iustinopolitanus.

ANSVISIVS POLA die 20 Octobris 1572 constituitur Vicarius Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Collatum munus rexit usque ad diem 14 Martii 1575.

BARTHOLOMAEVS FERRATINI, Civis et Episcopus olim Amerinus, Canonicus Vaticanus, Vicarii munus adeptus est, Alexandro Cardinali Farnese Archipresbytero, die 20 Martii 1575. Vicariatum gessit usque ad diem 21 Maii 1576. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

IOHANNES AMBROSIVS FIESCHI, Genuensis, Episcopus olim Savonensis, die 27 Maii 1576 creatus fuit Vicarius ab Alexandro Cardinali Farnese Archipresbytero. Renuntiatus a Sixto V P. M. Nuntius Apostolicus ad Subaudiae Ducem resignavit Vicariatum die 6 Maii 1585.

PAVLVS SANVITALE, Parmensis, Referendarius Apostolicus, die 19 Maii 1585 instituitur Vicarius per literas

patentes Alexandri Cardinalis Farnese Archipresbyteri. Eo in munere permansit usque ad diem 2 Martii 1589, qua Cardinalis Archipresbyter obdormivit in Domino. Fuit postea Episcopus Spoletinus.

HIERONYMVS MAFFEI, Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, die 6 Martii 1589 electus fuit Vicarius per literas patentes Evangelistae Cardinalis Pallotta Archipresbyteri. Die 16 Decembris 1590 iniit possessionem Canonicatus SS. Basilicae Vaticanae sibi collati a Gregorio XIV P. M. quocum Vicariatum sociavit. Diuturno morbo consumptus in pace Christi requievit in oppido Mareni Albanensis Dioeceseos die 15 Augusti 1594. Corpus Romam translatum sepultum fuit in aede sanctae Mariae ad Minervam in tumulo gentilium suorum.

PAVLVS ALBÈRI, Romanus, Archiepiscopus olim Ragusinus, die 11 Octobris 1594 electus fuit Vicarius per literas patentes Alexandri Cardinalis Peretti Pro-Archipresbyteri. De Vicariatu eius fit mentio ad diem usque 30 Martii 1598.

GASPAR CENCI, Romanus, Episcopus olim Melphiensis, Canonicus Vaticanus, in Vicarii munere constitutus reperitur sub die 3 Aprilis 1598; idque retinuit ad diem usque 7 Iulii eiusdem anni.

ANTONIVS VITTORI, Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, antea Canonicus Vaticanus, die 14 Octobris 1598 electus fuit Vicarius per literas patentes Andreae Cardinalis Peretti Pro-Archipresbyteri. Habetur mentio Vicariatus eius ad Iunium anni 1609.

ALEXANDER DE SANGRO, Neapolitanus, Patriarcha Alexandrinus, reperitur Vicarius a die 6 Iulii ad 7 De-

cembris anni 1609. Archiepiscopatum postea Beneventi, quem a Paulo V P. M. assecutus fuerat, retinuit cum Patriarchatu Alexandrino.

ANTONIVS SENECA, Nursinus, Episcopus Anagniae, die 20 Martii 1610 vi literarum patentium, Evangelistae Cardinalis Pallotta Archipresbyteri receptus fuit in Vicarium. Enuntiatur Vicarius ultima vice sub die 17 Decembris 1612.

AMBROSIVS CACCIA, Novariensis, Episcopus olim Castrensis, die 28 Februarii 1613 electus fuit Vicarius per literas patentes Evangelistae Cardinalis Pallotta Archipresbyteri. Fit mentio Vicariatus eius usque ad diem 6 Iunii 1619; et postea patriam remeavit, ut ibi vitam finiret, ubi ortum habuerat.

FRANCISCVS SACRATI, Ferrariensis, Archiepiscopus Damascenus, et sacrae Romanae Rotae Auditor, die 11 Iunii 1619 electus fuit Vicarius per literas patentes Evangelistae Cardinalis Pallotta Archipresbyteri. Datarii munere auctus a Gregorio XV P. M. Vicariatui valedixit die 20 Martii 1621. Fuit postea S. R. E. Cardinalis et Episcopus Caesenas.

FAVSTVS CAFFARELLI, Romanus, Advocatus sacri Consistorii, et Signaturae Iustitiae Referendarius, die 20 Martii 1621 constitutus fuit Vicarius vi literarum patentium Scipionis Cardinalis Borghese Archipresbyteri. Die 29 Ianuarii 1624 ab Vrbano VIII P. M. fuit renuntiatus Archiepiscopus sanctae Severinae, et die 6 proximi Maii Vicariatum dimisit.

VINCENTIVS LANDINELLI, Sarzanensis, olim Episcopus Albinganensis, die 13 Maii 1624 constitutus fuit Vicarius per literas patentes Scipionis Cardinalis

Borghese Archipresbyteri. Mortem oppetiit die 14 Martii 1626; sepultusque est in aede SSmi Nominis IESV.

FRANCISCVS CAVALIERI, Romanus, Episcopus Sulmonensis, die 15 Martii 1626 instituitur Vicarius per literas patentes, Scipionis Cardinalis Borghese Archipresbyteri. Vicariatum retinuit usque ad diem 6 Decembris 1627.

ERASMVS PARAVICINI, Romanus, Episcopus Alexandrinus, die 20 Decembris 1627 electus fuit Vicarius per literas patentes Scipionis Cardinalis Borghese Archipresbyteri. Retinuit Vicariatum usque ad Iunium 1632, quo Roma discessit.

PROSPER CAFFARELLI, Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, die 1 Iulii 1632 electus fuit Vicarius per literas patentes Scipionis Cardinalis Borghese Archipresbyteri; et die 19 Novembris 1633 per similes literas Francisci Cardinalis Barberini novi Archipresbyteri denuo ad Vicarii munus assumitur. Vicariatum retinuit usque ad Iunium 1634. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

IOHANNES BAPTISTA ALTIERI, Romanus, Clementis X P. M. germanus frater, Episcopus Camers, antea Canonicus Vaticanus, die 19 Iunii 1633 constitutus fuit Vicarius per literas patentes Scipionis Cardinalis Borghese Archipresbyteri, durante Prosperi Caffarelli absentia ab Vrbe, Commissarii munere aucti tutandis Ditionis Pontificiae finibus contra saevientem in Hetruria pestilitatem. Vicariatum retinuit usque ad diem 14 Octobris eiusdem anni, quo Cardinalis Archipresbyter e vivis sublatus est. Fuit dein S. R. E. Cardinalis.

FAVSTVS POLI, de Vsigno in territorio Cassiae, tunc Spoletinae nunc Nursinae Dioecesis, Archiepiscopus Amasenus, Vaticanae Basilicae Canonicus, die 6 Novembris 1633 deputatus fuit Vicarius loco Prosperi Caffarelli, absentis ut supra, a Francisco Cardinali Barberini Archipresbytero, sed perbrevi tempore; nam Prosper eodem mense Romam rediit. Eo vero resignante a praefato Archipresbytero Vicarius constituitur die 1 Iulii 1634. Vicarii munus Canonicatui sociavit ad diem usque 13 Iulii 1643, qua Purpuratorum Patrum Senatui fuit adiectus.

RAYNVTIVS SCOTTI, Placentinus, Episcopus Burgi Sancti Donnini, die 25 Augusti 1643 constitutus fuit Vicarius per literas patentes Francisci Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Vicariatus eius mentio postrema est sub die 16 Ianuarii 1645.

IOHANNES BAPTISTA SCANNAROLA, Mutinensis, Episcopus Sidoniae, die 17 Martii 1645 electus fuit Vicarius per literas patentes Francisci Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Munus servavit ad diem usque 30 Ianuarii 1646.

FRANCISCVS BILLI, Mediolanensis, utriusque Signaturae Referendarius, die 3 Februarii 1646 eligitur Vicarius per literas patentes Horatii Cardinalis Giustiniani Pro-Archipresbyteri. In Vicariatu permansit usque ad diem 4 Maii 1647. Fuit dein renuntiatus Episcopus Papiensis.

IOHANNES BAPTISTA SCANNAROLA, de quo superius, altera vice assumitur in Vicarium a Francisco Cardinali Barberini Archipresbytero die 13 Maii 1647.

Longiore infirmitate consumptus quievit in pace Christi die 10 Septembris 1664 aetatis suae anno 86. Corpus eius, ut testamento cautum fuerat, in SS. Patriarchali Basilica Lateranensi tumulatum est. Vicario isto aegrotante, Sigismundus Spada, Romanus, Canonicus Vaticanus, die 8 Februarii 1664 per literas patentes praefati Archipresbyteri constitutus fuit Pro-Vicarius: idque muneris gessit etiam usque ad novi Vicarii electionem.

IOSEPH MARIA SVAREZ, natione Gallus, domo Avenione, olim Episcopus Vasionensis, die 5 Iunii 1665 electus fuit Vicarius per literas patentes Francisci Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Ad id muneris die 29 Augusti 1667 iterum assumitur per alias similes literas Caroli Cardinalis Barberini patruo resignanti in Archipresbyteratu successoris. Vitam hanc cum aeterna commutavit Romae die 7 Decembris 1677 aetatis suae anno 78; sepultusque est in coemeterio Canonicorum SS. Patriarch. Basilicae Vaticanae.

FRANCISCVS FILICAIA, Florentinus, utriusque Signaturae Referendarius, olim Canonicus Vaticanus, die 31 Ianuarii 1678 per literas patentes Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri electus fuit Vicarius. Romae decessit ex hydrope die 6 Aprilis 1683 hora 12 italica annos natus p. m. 60. Eius corpus magna funeris pompa delatum ad aedem sancti Iohannis Florentinorum; ibique peractis exequiis humatum est.

IOHANNES FRANCISCVS ALBANI, Vrbinas, utriusque Signaturae Referendarius, perinsignis Basilicae Collegia-

tae sancti Laurentii in Damaso Canonicus (1), die 20 Maii 1683 fuit renuntiatus Vicarius per literas patentes Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Secretarius Brevium ad Principes ab Innocentio XI P. M. constitutus, Vicariatum ultro dimisit 15 Decembris 1687. Fuit postea Canonicus Vaticanus, dein S. R. E. Cardinalis, denique Clemens XI Pontifex Maximus, egregiis gestis, et insigni vitae sanctimonia clarissimus.

RAYNVTIVS PALLAVICINI, Parmensis, utriusque Signaturae Referendarius, die 16 Decembris 1687 renuntiatus fuit Vicarius per literas patentes Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Designatus deinde ab Alexandro VIII P. M. sacrae Congregationis Concilii Secretarius Vicariatum dimisit die 19 Decembris 1689. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

IOHANNES DOMINICVS PARACCIANI, Romanus, utriusque Signaturae Referendarius, die 20 Decembris 1689 electus fuit Vicarius per literas patentes Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri. Vicarii munus gessit ad totum Novembrem 1700, quo a Clemente XI P. M. designatus est suus Auditor. Fuit postea Canonicus Vaticanus, deinde S. R. E. Cardinalis, denique Almae Vrbis Vicarius Generalis. Iohanne Dominico quadam

---

(1) Ex Innocentii XI P. M. indulto Canonicatum retinuit: siquidem iuxta Alexandri Papae VII literas dat. 9 Aprilis 1657 Vicarii Basilicarum Patriarchalium esse nequeunt *Canonici eiusdem aut alterius Ecclesiae, nec ad aliquam residentiam obligati.*

gravi infirmitate detento, praefatus Cardinalis Archipresbyter literis patentibus datis 3 Augusti 1692 elegit Pro-Vicarium Marcum Antonium Buratti Canonicum Vaticanum emeritum, insignis gravitatis et probitatis virum.

BARTHOLOMAEVS SPADA, Romanus, Rev. Camerae Apostolicae Clericus, die 4 Decembris 1700 fuit constitutus Vicarius per literas patentes Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri; eoque demortuo a Francisco Cardinali Nerli Archipresbytero successore die 8 Novembris 1704 per alias literas patentes ad idem munus iterum eligitur. Diutino ac insanabili morbo correptus, quo altero post mense absumptus est, vertente Iulio 1706 Vicariatui nuntium libens remisit.

Fr. IOHANNES FRANCISCVS DE NICOLAIS, Leonissae in Vestinis, Ordinis Minorum strictioris Observantiae sancti Francisci, Episcopus Berytensis, die 19 Iulii 1706 electus fuit Vicarius per literas patentes Francisci Cardinalis Nerli Archipresbyteri: quo defuncto a Clemente XI P. M. confirmatur per literas in forma Brevis dat. 9 Aprilis 1708 ad Sedis Apostolicae beneplacitum. Renuntiatus fuit postea Archiepiscopus Myrae. Romae obdormivit in Domino die 29 Decembris 1737 aetatis suae anno 81, mense 7, die 14; ac in aede sancti Francisci ad Ripam Tiberis tumulatus est.

IOACHIMVS FERDINANDVS PORTOCARRERO DE ALMANARA, natione Hispanus, Patria Matritensis, Patriarcha Antiochenus, designatus Vicarius ab Annibale Cardinali Albani Archipresbytero, per literas in forma Brevis Clementis XII P. M. dat. 30 Decembris 1737 eo in munere constitutus ac deputatus fuit ad vi-

tam. A Benedicto XIV P. M. in Consistorio Secreto diei 9 Septembris 1743 renuntiatus est S. R. E. Cardinalis.

ALOISIVS MATTEI, Romanus, Rev. Camerae Apostolicae Clericus, die 27 Septembris 1743 electus fuit Vicarius per literas patentes Annibalis Cardinalis Albani Archipresbyteri. Promotus ad sacrae Romanae Rotae Auditorium dimisit Vicariatum die 14 Novembris 1747. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

SIMON BONACCORSI, Maceratensis, Rev. Camerae Apostolicae Clericus, die 1 Decembris 1747 electus fuit Vicarius per literas patentes Annibalis Cardinalis Albani Archipresbyteri. Munus gessit ad mortem usque eiusdem Archipresbyteri, quae incidit in diem 21 Octobris 1751. Fuit postea S. R. E. Cardinalis.

GEORGIVS MARIA DE LASCARIS, Veronensis, Clericus Regularis, Episcopus Zenopolitanus, Abbas Mitratus Zolkieviensis et Olycensis, quamvis absens, (erat enim Leopoli in Polonia Praeses Missionum ibidem a Clericis Regularibus institutarum orthodoxae fidei propagandae) constituitur Vicarius per literas patentes Henrici Cardinalis Stuart Ducis Eboracensis, ipso suae possessionis Archipresbyteratus die, qui fuit 14 Novembris 1751; Provicario interim constituto Ludovico Valdina Romano Episcopo Hermopolitano. Anno 1754 die 22 Iulii a Benedicto XIV P. M. fuit renuntiatus Archiepiscopus Theodosiae. Vicarii munus resignavit die 7 Iunii 1760, et iterum Poloniam remeavit.

HIERONYMVS FORMALIARI, Bononiensis, olim Episcopus Tudertinus, renuntiatur Vicarius die 7 Iunii 1760

per literas patentes Henrici Cardinalis Stuart Ducis Eboracensis Archipresbyteri. Die 21 Iulii sequentis a Clemente XIII P. M. renuntiatus fuit Archiepiscopus Anazarbensis. Vicarii munus propter malas corporis habitudines ultro dimisit die 15 Novembris 1764.

GEORGIVS MARIA DE LASCARIS, Patriarcha Ierosolymitanus, de quo supra, die 15 Novembris 1764 per alias literas patentes ad Vicarii munus iterum assumitur ab Henrico Cardinali Stuart Duce Eboracensi Archipresbytero; idque resignavit ob ingravescentem aetatem et valetudinis incommoda die 15 Maii 1793.

ANTONIVS FELIX ZONDADARI, Senensis, Archiepiscopus Adenensis, in Vicarium electus fuit die 15 Maii 1793 per literas patentes Henrici Cardinalis Stuart Ducis Eboracensis Archipresbyteri. Renuntiatus Archiepiscopus Senensis die 1 Iunii 1795 Vicarii munus retinuit ad totum proximum Septembrem. Fuit dein sacro Cardinalium Collegio adscriptus.

CAESAR BRANCADORO, Firmanus, Archiepiscopus Nisibenus, Congregationis sacri Consilii Christiano Nomini propagando Secretarius, die 10 Octobris 1795 constituitur Vicarius per literas patentes Henrici Cardinalis Stuart Ducis Eboracensis Archipresbyteri. Die 23 Februarii 1801 a Pio VII P. M. ad Cardinalatus dignitatem fuit assumptus.

DOMINICVS COPPOLA, Neapolitanus, Archiepiscopus Myrensis, Congregationis sacri Consilii Christiano Nomini propagando a Secretis, die 23 Februarii 1801 electus fuit Vicarius per literas patentes Henrici Cardinalis Stuart Ducis Eboracensis Archipresbyteri; eoque vita functo per alias similes literas a Romualdo Cardinali

Braschi Onesti novo Archipresbytero in Vicarium denuo assumitur die 26 Augusti 1807. Moritur ex hydrope Neapoli die 15 Decembris eiusdem anni.

FRANCISCVS SERLVPI, Romanus, sacrae Romanae Rotae Auditor, die 22 Decembris 1807 fuit electus Vicarius per literas patentes Romualdi Cardinalis Braschi Onesti Archipresbyteri. Iterum ac tertio constitutus fuit Vicarius a Cardinalibus Alexandro Mattei et Petro Francisco Galleffi Archipresbyteris. Die 10 Martii 1823, cum esset eiusdem sacrae Rotae Decanus, a Pio VII P. M. renuntiatus fuit S. R. E. Cardinalis.

CAESAR NEMBRINI PIRONI GONZAGA, Anconitanus, Rev. Camerae Apostolicae Clericus, die 19 Aprilis 1823 constitutus fuit Vicarius per literas patentes Petri Francisci Cardinalis Galleffi Archipresbyteri. Renuntiatus fuit Episcopus Anconae die 24 Maii 1824; et Vicariatum retinuit ad diem usque 30 sequentis Iunii. Fuit dein S. R. E. Cardinalis.

LVDOVICVS GAZZOLI, Interamnas, Generalis Praeceptor totius Ordinis Sancti Spiritus in Saxia, die 31 Iulii 1824 electus fuit Vicarius per literas patentes Petri Francisci Cardinalis Galleffi Archipresbyteri. Delatum munus administravit ad diem usque 2 Iulii 1832, qua a Gregorio Papa XVI S. R. E. Cardinalis renuntiatus est.

IACOBVS DE CVPPIS, Fanensis, sacrae Romanae Rotae Auditor, vir primum Amaliae Marchionissae Antici, deinde Presbyter Congregationis Oratorii sancti Philippi Neri Fani Fortunae, postea virorum religiosorum coetibus ob temporum iniquitatem suppressis, Archidiaconus

Cathedralis, die 5 Iulii 1832 constitutus fuit Vicarius per epistolam Petri Francisci Cardinalis Galleffi Archipresbyteri. Diuturno morbo consumptus, ac beatorum caelitum patriam anhelans obdormivit in osculo Domini Romae die 5 Decembris 1836, annos natus 60, mensem 1, dies 17. Corpus pro viri dignitate inlatum et expositum est in aede parochiali sanctae Mariae in Aquiro; ibique iustis persolutis translatum fuit ad aedem Sanctissimae Trinitatis Montis Albani Tusculanae Dioecesis, ubi in pace Christi quiescit.

STEPHANVS DEL BVFALO DELLA VALLE, Romanus, sacrae Romanae Rotae Auditor, antea Canonicus Vaticanus, die 5 Augusti 1837 electus fuit Vicarius per literas patentes Iacobi Cardinalis Giustiniani Archipresbyteri. Perbrevi sane tempore Vicarii munus gessit; nam morbo gravissimo correptus summo omnium moerore diem supremum clausit Romae die 22 Novembris eiusdem anni, aetatis suae anno 37, mense 5, die 16; sepultusque est ad sanctae Mariae in Ara Caeli in tumulo gentilium suorum.

PETRVS IOSEPH DE AVELLA'-Y-NAVARRO, Hispanus, domo Barchinone, sacrae Romanae Rotae Auditor, die 8 Decembris 1837 constitutus fuit Vicarius per epistolam Iacobi Cardinalis Giustiniani Archipresbyteri: quo vita functo, iterum assumitur in Vicarium ab Emo et Rmo Dño Mario Cardinali Mattei, ipso suae possessionis Archipresbyteratus die, qui fuit 12 Martii 1843. Munus servavit usque ad diem 22 Aprilis 1853; et quatriduo post Romae e vivis abiit aetatis suae anno 79. Eius corpus funebri pompa inlatum est in

aedem parochialem sancti Marcelli ; ibique peractis exequiis sepultum est ad aram Deiparae Virginis perdolentis.

PIVS BIGHI, Romanus, Episcopus Lystrensis, insignis Basilicae Collegiatae sanctae Mariae in Via Lata Canonicus (1), posteaquam SSmi D. N. PII IX P. M. Abbatiae Sublacensis Ordinarii sexennium Vicarii Apostolici munere fuisset perfunctus, electus fuit Vicarius die 22 Aprilis 1853 per literas patentes Emi et Rmi Dni Marii Cardinalis Mattei Archipresbyteri. Die 23 sequentis Augusti renuntiatus est Archiepiscopus Philippensis. Ei dies super dies adiiciat DEVS OPTIMVS MAXIMVS.

---

(1) Factus Vaticanae Basilicae Vicarius vi allatae Constitutionis Alexandrinae Canonicatum resignavit die 13 Maii 1853, etsi Coadiutor iam sibi fuisset datus.

INDEX PARAGRAPHORVM

TOTIVS OPVSCVLI

§. I. *Vicarius Basilicarum Vrbis quis dicatur et sit ?* . pag. 4

§. II. *A quo , quomodo et quales constituendi sint Vicarii Basilicarum* . . . . . » 7

§. III. *De Officio et Obligatione Vicarii Basilicarum* . . . » 14

§. IV. *De potestate Vicarii Basilicarum Vrbis* . . . . . » 25

§. V. *De Praeeminentia Vicarii Basilicarum* . . . . . » 44

§. VI. *De honorario stipendio Vicarii Basilicarum* . . . » 52

§. VII. *De expiratione talis Vicariatus* . . . . . » 54

§. VIII. *Constitutio Alexandri VII P. M. quod electionem, iura, ac onera Vicariorum Basilicarum Patriarchalium Vrbis* . . . . . » 58

Vicariorum SS. Patriarchalis Basilicae Vaticanae successio » 61

53884